BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
35
3 1
7/6
VITT. EMANUELE

Digitized by Google

35.3.I.7 6

NICOSTRATI
ET
PHILADELPHI
DE
JURANDI FORMULA
AB
ALEXANDRO VII
ET
ILLUSTRISSIMIS
BELGII EPISCOPIS
PROPOSITA
CONTENTIONES
IN LUCEM EDITÆ.
PER
VICTOREM CANCELLATI.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus JOANNIS FRIESSEM Bibliopolæ, 1692.

CONTENTIO I.

Via panditur ad contentiones reliquas ; & illud : jurare non licet id, de cujus veritate certò non conſtat, *tamquam principium certum adſtruitur.*

PHILADELPHUS. Tuum in Academiam reditum, Nicoſtrate, tibi benè fortunet Deus.

NICOSTRATUS. Habeo tibi grates, Philadelphe, pariterque gratulor de nova, quâ auctus es, Sacerdotii dignitate. Sanè quàm doleo, quod tibi primùm facienti ad aras adeſſe non potuerim.

PHIL. Itane vero, Nicoſtrate? Sic amicum ludum facis?

NIC. Non facio enimverò. Seriùs quidem gratulor, ſed ut eſt apud Tullium, *ſerà gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim ſi nullâ negligentiâ prætermiſſa eſt.*

PHIL. Non eſt, de quo mihi gratuleris. Sacerdotio initiatus non ſum.

NIC. Nonne diſceſſuro mihi dixeras, te hunc in finem propediem Mechliniam aut Antverpiam cogitare?

PHIL. Ita ego quidem conſtitueram animo. Sed proh dolor!

NIC. Quæ iſtæc eſt tam lacrymoſa exclamatio?

PHIL. O Nicoſtrate, tu ſolus hoſpes in Belgio verſaris? Tuæ peregrinantur aures? Non audiſti, quid decreverint Epiſcopi? Sacris initiare ordinibus volunt neminem, niſi qui quinque Propoſitiones in ſenſu Janſenii ejuraverit.

NIC. Id ego ex amicorum litteris cognovi abſens. At verò juraturum te putaveram.

PHIL. Ego ut hoc jurem? Abſit à me tam execrandum perjurium. Quamquam *divina quadam res ſit Sacerdotium* (ut loquitur S. Iſidorus Peluſiota) *ac rerum omnium præſtantiſſima* : Tamen tantâ carere dignitate malim in perpetuum, quàm ad eam per tantum nefas mihi iter ſternere.

NIC. Riſum non teneo, Philadelphe, dum iſtud perjurium vocas.

PHIL.

Phil. Perjurium iſtud eſſe pronunciavit Collegii noſtri Præſes Vir, ut noſti, Lovanii eruditionis gloriâ excellens.

Nic. Præſes veſter pronunciet quodcumque voluerit; plus apud me tamen Epiſcoporum hoc præcipientium autoritas valebit, quàm hominis de Janſeniſmo non immeritò ſuſpecti temeraria reſponſio. Quod ſi vel minimum hic eſſet pejerandi periculum, cenſen religioſisſimos Antiſtites illud jusjurandum à nobis exacturos? Quamquam quid hîc ego Belgii Antiſtites memoro? Ipſe Alexander VII, Summus Pontifex, Cœleſte in terris Oraculum propoſuit eandem illam jurandi formulam Conſtit. *Regiminis Apoſtolici.* Igitur aut nullum hic eſt perjurium, aut perjurium imperavit Pontifex, atqui Pontifex, utpote qui in decretis morum condendis errori obnoxius non eſt, magnæ Eccleſiæ parti perjurium imperare non poteſt. non magis, inquam, quàm magnæ Eccleſiæ parti imperare poteſt uſuram, rapinam, adulterium, ſacrilegium, ſuperſtitionem, magiam aliave id genus ſcelera. Ergo ſi quid retinueris ex dialectica, cui quia in Collegio SS. Trinitatis ſtuduiſti, tibi pluſculum arrogas, conclude jam, hîc ne ſpeciem quidem aut umbram poſſe eſſe perjurii.

Phil. Pontificem in decretis morum errare non poſſe, obtrudis tu mihi, Nicoſtrate, tamquam certum minimeque dubium principium. Id verum eſſe quomodo oſtendas?

Nic. Id certum eſſe affirmat Sylvius, & probat de controverſiis Orthodoxæ fidei lib. 4. q. 2. art. 13. argumentis (ut mihi quidem videtur) deprompτis ex Cardinale Bellarmino. Quam ob rem, omiſſo rivulo, fontem ipſum conſectemur: Bellarminus itaque lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 5. dicit: *Tunc* (videlicet cum Pontifex in condendis decretis morum eſſet errori obnoxius) *Eccleſia non poſſet verè dici Sancta, ut in Symbolo Apoſtolorum vocatur; nam Sancta dicitur potiſſimùm ob ſanctam profeſſionem; quia nimirùm legem & profeſſionem ſanctam profitetur, quæ nihil docet falſum,* NIHIL PRÆCIPIT MALUM.

Phil. Videris dicere aliquid: verumtamen nondum do victas manus: etenim ſi Præſes meus hîc adeſſet, hoc tuum telum nullo negotio infringeret.

Nic. Præſidem ego tuum hic minimè pertimeſco, licet ſim tiro tantùm, albaque parmâ inglorius. Quid enim afferat aliud, niſi quod attulerunt quidam Belgæ Theologi in libello, qui inſcribitur: *Supplicatio ad Illuſtriſſimos ac Reverendiſſimos Archi-Epiſcopum Mechlinienſem cæteroſque Belgii Epiſcopos?*

Phil.

Phil. Hunc tu libellum volviſti, & adhuc ſuſtines exactum ab Epiſcopis dicendum eſſe Sacramentum? Argumenta, quibus id nefas eſſe contendunt ſupplices Theologi, tam firma ſunt, Nicoſtrate, tamque perſpicua, ut nihil ſuprà.

Nic. Verum eſſe video id quod Polyphemo dicitur apud Theocritum:

ἦ γὰρ ἔρωτι

Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται:

Semper amori

Quæ non ſunt pulcra, ô Polypheme, ea pulcra videntur.

Quia Janſeniſtarum factionem diligis, propterea quidquid ex illorum effluit calamo, id ſuſpicis tamquam cedro dignum, tamquam è tripode oraculum, licet rude ſit, impolitum, temerarium, impium, & ab orthodoxa fide alienum. Ad hujuſmodi librorum lectionem accedere oportet cauto animo, libero, minimeque præoccupato. Alioquin facilè quis Chryſippæâ arte, vel dicam potiùs Arnaldicâ, id eſt, inani ſophiſmate deluditur.

Phil. In illa ſupplicatione nulla reperire eſt ſophiſmata, nullas fallacias, niſi fortè fallax dixeris hoc pronunciatum, quod quaſi totius opuſculi fundamentum ponitur §. 1. *jurare non licet id, de cujus veritate certò non conſtat.*

Nic. Pronunciatum iſtud ego amplector lubens: quis enim, non dico jam Theologus, ſed homo ſapiens de eo dubitet? Quapropter ſatis mirari non poſſum, ſupplices illos Janſeniſtas tantum operæ perdidiſſe in firmando principio, quod lippis & tonſoribus notum eſt. Pro eo citant litteras Sacras, Patres, Catechiſmos, Bellarminum, inimicum Leſſium, & quorum autoritatem Joannes Cantor & Theologaſter Opſtratius extenuant alibi, etiam Ritualia. Si hoc imperitæ multitudini fuiſſet inculcandum principium, non potuiſſent plura congerere. Philadelphe, licetne mihi liberè animi ſenſa proloqui?

Phil. Licet. Proloquere.

Nic. Hoc ipſum mihi argumento eſt, quàm parum illi Theologi revereantur Illuſtriſſimos Præſules: Nam aut non ſatis adverterunt, ad quos dirigeretur oratio; aut ſuppoſuerunr illud tam perſpicuum effatum ab Illuſtriſſimis Epiſcopis ignorari. Atqui primum nequaquam veriſimile eſſe, loquuntur repetiti toties per totam ſupplicationem tituli: *Viri Illuſtriſſimi, Illuſtriſſimi Præſules, Reverendiſſimi Antiſtites* &c. ergo ſi rectè ratiocinabimur, hîc Epiſcopos ta-

citè argutos ignorantiæ concludemus. Quid cenſes, Philadelphe? Hoccine debitæ reverentiæ indicium eſt?

Phil. Næ tu araneorum in morem è lectiſſimis floſculis venenum ſugis.

Nic. Næ tu Janſeniſtarum in morem ſtatim arripis convicium è trivio. Nonne mihi feceras copiam loquendi paullò liberiùs? Deſine ergo mollium querelarum. Certè huic meo argumento magnam vim ineſſe ac pondus non negabit (opinor) D. Malpaix jam non indecorus pro Janſeniana fide exul: cur enim fidem habuit putato Arnaldo de famoſæ theſeos explicatione facta à Duacænis ita ſcribenti: *Leur explication & leur éclairciſſement n'a pas été bien reçû, parcequ'on a crû qu'ils vouloient faire la leçon, & qu'ils ſembloient ſuppoſer que les Juges n'avoient pas aſſez de lumieres pour en penetrer tout le ſens. Illorum explicatio & expoſitio non eſt benignè excepta quia credebantur alios velle docere, tamquam ſi judices non forent idonei, qui ſuopte ingenio omnem theſeos ſenſum aſſequerentur.* Viri docti & graves non ſolent narrationibus nullam veriſimilitudinis ſpeciem præ ſe ferentibus credere tam facilè.

Phil. Non equidem miror id Duacænos Theologos tam facilè credidiſſe: putabant enim ab ipſiſſimo ſcriptum eſſe Arnaldo.

Nic. Vel hinc patet vis illius argumenti: etenim ſi imbelle ſit, cur tam vafris Janſeniſtis non incidit aliqua fraudis ſuſpicio? Quid, quod Commentator ille Gallus, ubi allata verba expendit, non poſſit ſatis demirari callidum Impoſtoris ingenium & exclamet: *Que d'impoſtures pour ſurprendre des gens, qui agiſſoient avec la ſimplicité de la colombe! Quæ machina ad fallendos columbinæ ſimplicitatis homines!*

Phil. Eſto. Illa à Duacenſibus data theſeos explanatio, fuerit ſanè quaſi aliqua judicum inſtitutio. Nihil ad me. In ſupplicatione, Nicoſtrate, longè aliud eſt: Nam cum illud: *jurare non licet id, de cujus veritate certò non conſtat*, eſſet veluti baſis & fundamentum, cui tota ſupplicatio incumberet, Theologi noſtri poterant, immò debebant hoc Epiſcopis ante omnia proponere.

Nic. Poterant quidem, ſed non tam fuſè. Strictim tantùm & curſim oportebat illud attingere, & nullis explicatum autoritatibus, quaſi per tranſennam oſtendere, etiamſi illis res fuiſſet cum Epiſcopo, qui omnis Theologiæ rudis ſolùm inſtitutiones Juſtiniani à primo limine ſalutaſſet: nam ad percipiendum hoc principium, non oportet multa Theologorum volumina evolviſſe.

Phil. Nugæ. Quid ſibi agendum eſſet, non intellexerunt

ſci-

ſcilicet ſcriptores noſtri, homines eloquentisſimi, & in arte Rhetorices apprimè verſati.

Nic. Plerique veſtri ſcriptores Galli optimè callent vim & artificium Rhetorices, non diffiteor; nam Arnaldo Sireni illi Gallicæ dedêre operam. Sed veſtri ſcriptores alii, Lovanienſes præſertim, valde imperitè ſcribunt ac barbarè, adeo ut non minus ſtylo & oratione monſtroſi ſint, quàm moribus & impietate dogmatum.

Phil. Hoc tu de Magiſtris meis ne dixeris. Quàm eloquentes ſint, liquet ex ſupplicatione: nam in illa ſaltem non deſideratur lepos venuſtaſque ſermonis.

Nic. Quoniam id tu tibi concedi poſtulas, concedam. Pernoverint illi vim omnem Rhetorices. Atque ideo hoc illorum erratum non inſcitiæ poſſum tribuere, ſed malevolentiæ, & contemptui Epiſcoporum. Verùm, Philadelphe, dum tibi gratis aſſentior ſcriptores veſtros Lovanienſes in arte eloquentiæ eſſe valdè exercitatos, nolim iis annumeres Patrem Magiſtrum, aliàs D. Martinum de Svvaen: ille enim vix dignus eſt, qui *ſcribillator* appelletur.

Phil. Miſſas faciamus iſtas cavillationes, & inter diſputandum nobis ponamus ob oculos Lemma Janſenii *veritas & caritas.* An ergo admittis nefas eſſe jurare id, de cujus veritate non conſtat?

Nic. Jam dixi, admitto.

Phil. Bene habet. Nunc perfacilis mihi oſtenditur reliquus curſus diſputationis, & cum ſupplicibus Theologis aſſumo: *Atqui certitudo facti Janſeniani haberi non poteſt ex ſola deciſione Eccleſiæ.*

Nic. Hoc eſt quod viri orthodoxi pernegant: nam Eccleſia, immò ſolus Pontifex in decidendis hujuſmodi quæſtionibus autoritatem habet falli neſciam: quod ego tibi oſtendere aggredior.

Phil. Laconicè, obſecro.

Nic. Laconicè res tánta oſtendi non poteſt.

Phil. Malim ergo differas. Cras, ſi lubet, ad horam nonam conveniemus nos invicem in foro. Non enim hodie mihi otium eſt. Jam nunc præſtolantur me ſocii. Symbolam contulimus ad formulæ inferias largiori compotatione celebrandas.

Nic. O factum peſſimè!

Phil. Vana eſt tua iſta religio Nicoſtrate: in collegio Pontificio id dicitur factum eſſe jam pridem conſentiente & plaudente Eximio D. Gummaro.

Nic. An non factum eſt etiam ipſo præeunte? an funebri illi com-

compotationi non interfuit Pater Abraham, aliàs Eximius D. van Viane ? an non etiam Clariſſimus D. van Eſpen, ut turba reliqua tantis accenderetur exemplis ?

Phil. Vin tu noſtræ intereſſe ? age, tu me comitare. Ne dubita; optatus adveneris.

Nic. Superi tantum à me avertant ſcelus.

Phil. Non vertes id tibi ſceleri, ubi aliquoties ſuper hac re digladiati fuerimus. Vale ergo in craſtinum.

CONTENTIO II.

An ſensûs Janſeniani certitudo haberi poſſit ex ſola deciſione Eccleſiæ vel Pontificis.

Nicostr. Ubi, Philadelphe, hæſiſti tamdiu ? jam hora integra eſt cum ego te hîc opperior.

Philadel. Id ſomno meo ignoſcas velim : hodie enim præter conſuetudinem quievi in multam lucem.

Nic. Intelligo; edormienda erat crapula. Heri in exequiis formulæ adbibiſti plus paullo.

Phil. Sic eſt. Pitiſſando plus vini abſumpſi, quàm exiſtimaveram.

Nic. Vah! hoc vitium in Janſeniſtas cadit, in tam rigidos Catones ?

Phil. An tibi excidit illud Horatii :

Narratur & priſci Catonis
Sæpè mero maduiſſe virtus?

Tamen nolim id Didacus de Oropega reſciſcat. Etenim quemadmodum nuper Eximium D. Martinum de Swaen, & Eruditiſſimum D. Petrum Melis exagitavit ob evacuatam miſeram vini rhenani lagunculam, ita etiam nunc me exagitaret dirum in modum. Ego cum iſtoc hominum mordaciſſimo nolo quidquam habere commercii.

Nic. Metum pone : Didacus non tali te honore dignabitur. Immo verò miror, quòd ille numeris omnibus abſolutus Scriptor voluerit cum P. Magiſtro, cum illo *ſcribillatore* tam ſæpe congredi.

Pro-

Profectò oblitus fuit id quod apud Ovidium de adverſario ſuo dicit Aiax :

Qui cum victus erit, mecum certaſſe feretur.

PHIL. Mihi jocari non lubet. Tu fidem tuam præſta, & oſtende certitudinem Janſeniani facti haberi poſſe ex deciſione Eccleſiæ aut Pontificis.

NIC. Faciam. Et ne digladiemur Andabatarum more, ante omnia explicandum eſt, quid per factum Janſenianum hîc intelligatur.

PHIL. Nil juvat inutili explicatione tempus terere. Per factum Janſenianum ego nihil intelligo aliud, niſi ſenſum intentum à Janſenio. Atque ut illud ſic intelligam, magnopere me movet autoritas eorumdem Theologorum Belgarum, qui in dicta jam ſupplicatione ſub finem §. 1. ſic habent : *Certi non ſunt, an verum ſit factum Janſenii, hoc eſt, an hæreticus ac damnatus quinque propoſitionum ſenſus à Janſenio intentus ſit, ſeu in libro ejus expreſſus.*

NIC. Sic rectè. Sed velim etiam advertas ſenſum à Janſenio vel quovis alio ſcriptore intentum poſſe eſſe duplicem, alium ſcriptoris, ſcriptionis alium.

PHIL. Nonne hîc eſt unus idemque ſenſus ?

NIC. Minimè gentium. Senſus ſcriptoris eſt ſcribentis judicium, ſive ut clariùs loquar, eſt ſenſus, quem ſcriptor, dum ſcriberet, in mente habuit. At verò ſenſus ſcriptionis eſt ille quem verba ex prima inſtitutione ſolita ſunt in hujuſcemodi adjunctis ſeu circumſtantiis in legentis animo gignere. Jamne colligis, Philadelphe, fieri interdum poſſe, ut hi ſenſus inter ſe maximè differant ? Si non graveris me audire, id familiari illuſtrabo exemplo. Qui ad te ſæpe dat litteras, is intelligit Turcas à Cæſare profligatos eſſe, te tam læti rumoris feſtinat reddere participem, expedit calamum, & jam parans ſcribere victos eſſe Turcas, caſu neſcio quo, obdormiſcens V. G. aut aliò evagatus animo ſcribit Turcas eſſe victores. Jam ego quæro ex te ; an hic non ſit alius ſcriptionis ſenſus, alius ſcriptoris.

PHIL. Omnino : nam ſcriptionis ſenſus eſt Turcas retuliſſe victoriam ; ſcriptoris verò Turcas fuſos eſſe & profligatos. Hoc enim meus mihi amicus vult ſignificatum, atque ideo ſcribit.

NIC. Optimè. Placetne jam illud accommodemus noſtro inſtituto ?

PHIL. Placet, & cedo obſecro, Janſenius cum ſcriberet librum,

cui nomen fecit *Auguſtinus Cornelii Janſenii*. nonne potuit dormitaſſe ſicut ille meus amicus? nonne aliò mente abripi?

Nic. Potuit. Immo verò aliud judicaſſe in animo potuit, aliud ſcribere: homo enim fuit, humani nihil ab ipſo alienum fuiſſe exiſtimo: quamquam illud in tam vaſto opere parum fit veriſimile.

Phil. Hinc capere non poſſum, quomodo Pontifex, qui non eſt καρδιογνώςης, ſive qui non magis corda novit, quàm quilibet homo alius, poſſit ſenſum Janſenii certò aſſequi & proſcribere. Undè merito videtur dixiſſe Damvillerius noſter lib. de l'hereſie imaginaire tom. 1. pag. 352. *Le ſens d'un autheur mort & abſent, ſur une choſe obſcure & embaraſſée ne ſe peut jamais ſçavoir avec une certitude entiere. Demortui & abſentis autoris ſenſus de re obſcura & implicata nunquam omninò certò cognoſci poteſt.* Quid moras trahis? Quin ad ea reſpondes?

Nic. Nolebam te interpellare: Quia cum tam antiquum Autorem protuliſſes, expectabam plures alios, qui in hanc ſententiam ſcripſerunt, Janſeniſtas à te longo ordine recenſendos, atque in primis D. Priorem S. Martini, qui Pontifici autoritatem adſcribere in tali quæſtione errare neſciam, ait *furorem eſſe vel potiùs rabiem Ieſuitarum non alio fundamento quàm impietate & idololatriâ imixam.* Sed quoniam iſte haud ita pridem à Didaco de Oropega ſtrenuiſſimo Catholicæ fidei propugnatore convictus eſt de tot ineptiis, fallaciis & calumniis, forte tui te Prioris pudet. Quidquid id eſt, Reſpondeo, & aio te hic cum tuo Damvillerio ceteriſque Janſeniſtis hallucinari turpiter: non enim ſenſum ſcriptoris fulminavit Pontifex, ſed ſcriptionis tantùm, ſive ſenſum illum quem (ut antè explicui) verba ex prima inſtitutione in tali orationis ſerie, ſpectatis antecedentibus & conſequentibus, præ ſe ferebant. Ac ne putes hoc à me tantùm pro arbitratu ita dici, etiam probo: juxta illud Gregorii de verborum ſignificatione, *intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi*; Pontifex cenſendus eſt tantùm reſpondiſſe ad interrogata: atqui Pontifex non de ſcriptoris ſenſu, ſeu de interno ſenſu Janſenii interrogabatur: ergò non eſt cenſendus ad illum reſpondiſſe aut illum damnaſſe. Liquida, opinor, eſt propoſitio.

Phil. Eſt. Aſſumptionem proba.

Nic. Nihil probavero faciliùs. Agedum, aures purga. Pontifex interrogabatur ſolùm de illo ſenſu, quem *iniquitatis filii* defendebant, quique jam in Eccleſia tot procellas & tempeſtates conciverat: atqui non erat ſenſus ſcriptoris ſive ſenſus Janſenii interior,

quem

quem defendebant *iniquitatis filii*: quis enim defendat ſenſum, quem ignorat? Non erat etiam ſenſus Janſenii interior, qui turbaverat Eccleſiam: quid enim ad Eccleſiæ tranquillitatem intereſt ſcire, quid Epiſcopus aliquis inter ſcribendum volutaverit animo? Ergo Pontifex de interno Janſenii ſenſu non interrogabatur, ſed de ſenſu ſcriptionis tantùm. Hic ſenſus turbaverat Eccleſiam, hic à *filiis iniquitatis* propugnabatur, hic paſſim jactabatur ipſiſſima S. Auguſtini doctrina, hic denique dicebatur continere ſanctiſſima certiſſimaque divinæ gratiæ fundamenta, *les plus ſaintes & les plus conſtantes maximes de la grace.* Atque hæc mihi diſputanti venit in mentem id quod tradit CATHOLICUS Iprenſium Antiſtes Guilielmus Herincx diſp. 7. de fide num. 109 *Quod*, inquit, *exprimatur* SENSUS A JANSENIO INTENTUS, *non ita intelligas velim*; *quaſi Ianſenius in corde verè ſenſerit, prout ſcripſit*...... *ſed quod iſte ſenſus ſit Ianſenii*, *quantum eſt ex vi verborum & contextûs.*

PHIL. Hæc verba *in ſenſu ab Autore intento* aliquid amplius in Alexandri VII Conſtitutione inſinuant: nam mihi quidem *Autor* & *Scriptor* videtur unum idemque ſonare, atque adeò ſive dicat Pontifex *in ſenſu à Scriptore*, ſive *in ſenſu ab Autore intento* unum idemque ſignificat. Ergo cum Pontifex proſcripſerit ſenſum ab Autore intentum, etiam Scriptoris ſenſum proſcripſit, non ſcriptionis tantùm, ſicuti tu contendebas. Itaque tota tuæ argumentationis machina adverſum me tanto ardore ſtructa penitùs corruit.

NIC. Argutè tu hæc mihi objicis. A quo, obſecro Lovanienſi Doctore hæc tu didiciſti? *Autor* & *Scriptor* hîc nihil diverſum ſignificant, fateor: ſed numquamne, Philadelphe, audiviſti illud lege Labeo dig. de ſuppellectile legata: *quilibet præſumitur ſentire quod dicit?* Effatum eſt, quod per utrumque jus latiſſimè funditur, ejuſque æquitas videtur niti obligatione illa, qua de agit D. Thomas 2. 2. q. 109. a. 3. ad 1. *quia homo*, inquit, *eſt animal ſociale naturaliter debet alteri id, ſine quo ſocietas humana ſervari non poſſet*, *non poſſent autem homines ad invicem convivere*, *niſi ſibi invicem crederent*, *tamquam ſibi invicem manifeſtantibus veritatem*, ſeu animi ſenſa. Propter iſtud utriuſque juris principium ſenſus Scriptoris, & ſcriptionis perſæpè confunditur; & alter pro altero promiſcuè accipitur. Quam ob rem etſi Pontifex dixerit *in ſenſu ab Autore intento*, tamen ſcriptionis ſenſum ſeu libri intellexiſſe cenſendus eſt.

PHIL. Mira & contorta Pontificii Decreti interpretatio!

NIC.

Nic. Hæccine mira tibi videtur interpretatio & contorta? Tamen à communi loquendi conſuetudine non abhorret: quid enim inter homines uſitatiùs, quàm ut Autor accipiatur pro libro? Hinc nullus eſt Theologus, nullus Juriſperitus, nullus Philoſophus, immo nullus Grammatices in novo Collegio auditor, quí ubi audit à Ludimagiſtro: *adeant Ciceronem, adeant Ariſtotelem, Juſtinianum conſulant, inſpiciant D. Thoman, videant Eximium Gummarum, &c.* Non ſtatim intelligat hic libros ſeu ſcripta, non librorum Autores ſignificari. Itaque cum hæc loquendi formula in conſuetudinem abierit, quid eſt, cur non etiam in Conſtitutione Pontificis ſenſum libri ſeu ſcriptionis per ſenſum Autoris intelligamus.

Phil. Id tibi, Nicoſtrate, jam planè aſſentior: etenim niſi Autor interdum accipiatur pro libro, propoſitiones plurimæ, quæ habentur veræ, erunt falſæ & ridiculæ. V. G. hæc: *D. Auguſtinum vendidi, emi D. Thomam*, &c.

Nic. Sic eſt, Philadelphe, & ut ego clariora exempla afferam, quid verius eſt hiſce propoſitionibus: *Montaltius infami carnificis dexterâ exuſtus eſt Aquiſſextiis, Eximius Huygenius Romæ affixus eſt in campo Floræ, ibidem ignominioſo notari ſtigmate viſus eſt Hennebellius.* Tamen ſi hoc de ipſis intelligatur Autoribus, nihil eſt falſius: nam neuter ex duobus ultimis Romam unquam vidit.

Phil. Eò brevî proficiſcetur Eximius Hennebellius.

Nic. Ego ipſi Autor ſim, ut domi maneat: etenim ſi Romani umquam reſciant illum eſſe de número iſtorum, qui Romam Maſſiliam vocant, væ illi. Præterea Semipelagianiſmi maculam aſperſit S. Saleſio. Hoccine Romæ placiturum putat?

Phil. Ne extra oleas, Nicoſtrate. Senſum ſcriptionis ſeu libri dumtaxat damnatum eſſe, ſat ſolidè eviciſti. Sed quid inde conficitur contra aſſumptionem ſupplicationis?

Nic. His conſtitutis ſequitur, ut contra quàm dicunt ſupplices Theologi, certitudo facti Janſeniani (ut ipſi vocant) haberi poſſit ex ſola deciſione Eccleſiæ aut Pontificis.

Phil. Inepta concluſio! etenim cum quærere quis ſit libri aut ſcriptionis ſenſus, æque ſit facti quæſtio ac quærere quis Scriptoris ſit ſenſus, in illo declarando errare poteſt Eccleſia. Hoc tu achilleum argumentum numquam everteris.

Nic. Dabo operam; & niſi in te pertinacia ſit plus quam Arnaldica, victum te fateberis.

Phil.

Phil. Ne triumphum ante victoriam. Age, arma expedi.

Nic. Credis Eccleſiam in quæſtionibus juris errare non poſſe?

Phil. Et quidem Pontificem ſolum ſine Concilio in quæſtionibus juris errare non poſſe credo.

Nic. Felix hoc mihi eſt victoriæ augurium. Et gratulor tibi, quòd in hoc ſaltem à ſupplicibus iſtis Janſeniſtis receſſeris: etenim illis merces Gallicas in amoribus eſſe non temerè exiſtimo. Quotieſcumque in decidendis juris quæſtionibus Eccleſiam ab omni errato immunem eſſe in ſua ſupplicatione affirmant, cur iis tam altum eſt de Romano Pontifice ſilentium?

Phil. Mitte iſta quærere; mentem meam habes. Age, rem aggredere.

Nic. Quoniam ita vis, obtemperabo. Eccleſia, vel etiam (ut mea & tua fert ſententia) ſolus Pontifex non coacto Concilio, falli non poteſt in quæſtionibus juris decidendis: atqui quis ſit ſenſus ſcriptionis aut libri, quomodo ſit intelligendus, ſive quæ vera ſit libri interpretatio, eſt quæſtio juris, non facti: ergo Eccleſia vel ſolus Pontifex falli non poteſt in decidendo ſenſu ſcriptionis aut libri.

Phil. Aſſumptionem nego, & ſi Illuſtriſſimo Humberto judice certemus, cauſam vici. Ipſemet hoc *factum* appellare non dubitat, ut patet ex iis, quæ Alexandrinæ formulæ ſubjecit. Verba ejus hæc ſunt: *Juro autem ſecundum intentionem Alexandri VII præfati non tantùm in reverentiam Conſtitutionum, de quibus in dicta formula, ſed etiam in veritatem earum: Et non tantùm in veritatem e rum, quæ in iſtis Conſtitutionibus ſpectant ad jus, ſed etiam eorum, quæ* (UT LOQUUNTUR) *ſpectant ad factum ab Alexandro VII definitum.* Viden jam, id *factum* ab ipſo nuncupari?

Nic. Ad adjunctam parentheſin adverte. Certè quando prudentiſſimus Antiſtes has voces UT LOQUUNTUR interjunxit & majoribus imprimendas characteribus præcepit, an non ſatis declaravit ſe & ex opinione Janſeniſtarum tantùm ita loqui, & judicare hoc propriè & in rigore *factum* dici non poſſe? Huic parentheſi talem ſignificandi vim ineſſe, poſſim oſtendere tum ex ſacris, tum ex profanis ſcriptoribus; ſed rem omnibus perſpicuam nihil attinet probare, quemadmodum Janſenianos non ſine contemptione Epiſcoporum feciſſe, heri vidimus. Igitur ne tantillum quidem præſidium apud Orthodoxum Præſulem, cui Deus multos annos, in-

venire poteſt Janſeniana perfidia. Hiſce confutatis ad negatam aſſumptionem ſtabiliendam aggredior.

Phil. Expecto quid afferas.

Nic. Ut rem ſine ullo errore posſis dijudicare diſtinctiùs, intelligere oportet in illa quæſtione implicari quæſtiones duas. Altera hæc eſt, quis ſit libri vel ſcripti ſenſus, V. G. doceatne *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque illis gratiam, quâ poſſibilia fiant.* Altera eſt, qualis ſit ille ſenſus; hæreticusne, an orthodoxus & divino juri diviniſque eloquiis conſentiens. E duabus illis quæſtionibus coaleſcit una, videlicet an ſcriptionis ſeu libri ſenſus ſit hæreticus. Nos ſeorſim utramque contemplemur. Poſteriorem juris quæſtionem eſſe, quis neget? Etenim poſtquam aſſecutus eſt Pontifex, quis ſit ſcriptionis ſenſus ſive doctrina; dubitare poteſt nemo, quin quæ ſupereſt decidenda quæſtio, ad jus pertineat. Negent hoc, ſi auſint ſupplices Janſeniſtæ. Suo ipſos convincam teſtimonio: nam §. 3. dicunt: *juris propoſitio eſt; doctrina aſſerens præcepta Dei juſtis impoſſibilia eſſe: item, gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ numquam reſiſti, eſt hæretica.*

Phil. Non inficior poſteriorem illam eſſe quæſtionem juris, & quidem juris divini: non enim aliunde, quàm ex divino jure ſeu ſacris eloquiis decidi poteſt; & propterea in tali quæſtione non poſſe falli Pontificem ſuſtinemus. At verò priorem eſſe iuris quæſtionem admirabile eſt, paradoxum, contraque opinionem omnium. Quæ erit tandem facti quæſtio, ſi illa non ſit?

Nic. Philadelphe, putaſne quæſtionem, quâ quis ſit libri ſenſus quæritur, ex hominum ferè teſtimoniis eſſe ſolvendam? Putaſne iis opus eſſe teſtimoniis, quibus ad probandam cædem ſolet opus eſſe? Toto cœlo aberras, ſi iſta judices.

Phil. Ex quibus igitur principiis iſta ſolvenda quæſtio eſt?

Nic. Ex eo jure, ex iis legibus, quibus humana adſtringitur locutio, hoc eſt ex vocum ſignificatione propter humanum commercium inſtituta & communi recepta conſenſu. Hoc autem genus aliquod juris eſſe, nemo benè ſanus neget. Sic igitur impugno adverſarios: ideo ex illorum ſententia quæſtio, quâ quæritur qualis ſit libri ſenſus, eſt juris quæſtio, quia ex jure decidenda eſt: atqui etiam quæſtio, quâ quæritur quis ſit libri ſenſus, eſt ex jure decidenda, uti jam vidimus: ergo etiam quæſtio, quâ quæritur quis

quis ſit libri ſenſus, eſt quæſtio juris, non facti.

Phil. Aſſumptionem tibi dare non poſſum. Eſtne iſta vocum inſtitutio quaſi lex aliqua?

Nic. Jam dixi. Et ut inſtitutio lex non eſſet, pro lege certè eſſet conſuetudo, quæ ſignificationem vocum approbavit. Dubitas? Tertullianum audi lib. de corona militis cap. 4. *conſuetudo in civilibus rebus pro lege ſuſcipitur.* Et in l. de quibus, 32. ff. de legib. dicitur: *Inveterata conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur.* Et in l. ſeq. *diuturna conſuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet.* Sunt alia multa hujuſmodi, quæ longum eſt referre.

Phil. Capio. Et inde factum eſſe exiſtimo, ut Iſidorus lib. 5. Etymol. Cap. 3. conſuetudinem deſcripſerit *jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur.* Sed dic, amabo, unde conſtabat Pontifici, Janſenium inter ſcribendum hanc communem vocum ſignificationem, ſeu legem ſpectaſſe?

Nic. Vah! dignus es, cui accommodetur illud Zenodoti:

Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν ἐισχρούεις λίθον.

Id eſt, iterum offendis ad eundem lapidem, quia ad internum ſenſum Janſenii iterum delaberis. De iſto ſenſu, ut jam oſtendi, non eſt umquam ulla ſuſcepta contentio. Quare ne in poſterum moleſtus ſis, dico: etiamſi Janſenius ſenſum planè contrarium, quàm ſcriptæ voces inferebant, voluiſſet in legentium animis gignere: tamen hoc facere non potuiſſet. Quid enim? poteſtne tubicen, ordinatâ acie, claſſicum canere, & efficere ne intelligant milites ſibi jam jam capeſſendam eſſe pugnam? Poteſtne œnopola ederam figere præ foribus, & impedire ne præteriens populus venale vinum eſſe cognoſcat: Et ne abeamus longiùs, poteſtne quiſquam Alexandrinæ formulæ ſubſcribere, & facere ut verba non ſignificent id ad quod ſignificandum inſtituta ſunt?

Phil. Non profectò. Id ipſum animadvertere nos jubent noſtri Theologi in ſupplicatione pag. 44. *in privati alicujus arbitrio*, inquiunt, *ac poteſtate poſitum non eſt verborum ſignificationem ac ſenſum mutare.*

Nic. Ergo vel ex illis ipſis diſcas, quàm inane fuerit tuum effugium. Jam tandem habes, ubi Magiſtros tuos, licet *filios iniquitatis*, tutò & ſine periculo audias. Uſque adeò verum eſt illud deſumptum ex Athenæo adagium:

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα κάιρια εἶπε.

Quandoque eſt olitor, verba opportuna locutus.

Phil.

Phil. Modeſtiùs obſecro, & vide ne obliviſcare Janſeniani lemmatis *veritas & caritas*.

Nic. Iſtud ago: nam ad caritatem quod attinet, quæ poteſt eſſe major caritas, quàm aliquem ad rectam & orthodoxam fidem reducere?

Phil. Caritatem colis, ſcilicet, dum magiſtros meos, viros integerrimos *filios iniquitatis* appellas.

Nic. Hìc veritatis rationem habui; atque ita partem utramque Janſeniani lemmatis plenè cumulateque ſervavi. Sed intelligo, Philadelphe, quorſum evadat tua iſta reprehenſio. Aliò avocare me ſtudes, & impedire, ne ex iis, quæ jam fusè diſputavi, concludam: Ergo quæſtio, quæ ad eludendas Pontificum ſanctiones ab Janſenianis *facti* dicitur, juris quæſtio eſt. Hanccine concluſionem mihi concedis?

Phil. Pugnat quidem ac reluctatur animus, tamen quia argumentis non poſſum reſiſtere, concedo. Sed cave, hoc Præſes noſter reſciat.

Nic. Animo otioſo te eſſe impero, ego nil dicam. Subſumere jam liceat: atqui Eccleſia, & (ut tu dicis) Pontifex in decidendis quæſtionibus juris omni caret errandi periculo: ergo etiam caret omni errandi periculo in ſenſu alicujus libri ſcriptive decidendo. Ad ſummam tota ſupplicantium aſſumptio, quâ pugnant certitudinem ſensûs Janſeniani non poſſe haberi ex ſola deciſione Eccleſiæ, diſſipatur penitùs, & in fumos abit. Philadelphe, quid jam dicis?

Phil. Reſpondebo tibi die craſtinâ. Veſperi inſpiciam ſupplicationem. Inveniam certè aliquid, quo nunc dicta confutem.

Nic. Heus! antequam abis, accipe adhuc aliquid epimetri loco. Habesne etiam in bibliotheca tua Paulum Irenæum de cauſa Janſeniana ſive fictitia hæreſi?

Phil. An dubitas? Chriſtiano Theologo hujuſmodi libri præ D. Thoma commendantur ab Eruditiſſimo D. Opſtratio.

Nic. Igitur & illum Irenæum adi diſquis. 6. art. 2. *Verba*, inquit, *primæ propoſitionis damnatæ habet Janſenius .... ſed* SENSUM *illius damnatum non habet*; *quia locus Janſenianus ex* CIRCUMJECTIS ET ANNEXIS AD EUM SENSUM *alligatur*, *qui nihil contineat præter vulgarem Thomiſtarum doctrinam*, *toti Eccleſiæ*, *præcipuè verò ſummo Pontifici probatam*. Vide, an non is ipſe Janſeniſta *ex circumjectis & annexis* ſententiam ferat de ſenſu Janſenii

ſenii & Thomiſtarum. Cur ergo moleſtè ferunt eandem quæſtionem ex iiſdem principiis à Pontifice decidi?

Phil. Irenæus negat damnatum ſenſum in Janſenio contineri.

Nic. Contineri affirmat Pontifex. Cui credendum eſt potiùs?

Phil. Juxta Autorem dialogi Flandrici inter Rechthert & Waermont potiùs Paulo Irenæo credendum eſt: nam *privati Theologi*, inquit, *meliùs poſſunt aſſequi ſenſum libri, quàm Pontifices.*

Nic. Dictum impium!

Phil. Non ex mea loquor ſententia, Nicoſtrate, ſed ex ſententia illius Autoris. Quam ob rem non eſt, cur ita mihi ſuccenſeas. Cras proſequemur cetera.

Nic. Eodem te expectabo tempore & loco.

CONTENTIO III.

De mente Eminentiſsimi Cardinalis Bellarmini, & de inſigni ſupplicantium mendacio.

PHIL. Heri, Nicoſtrate, triumphabas tam magnificè.

Nic. Non immeritò: nam victus es.

Phil. Minimè. Præcoci gaudio fortunam irritaſti: etenim ſupplicationem inſpexi; & Bellarminum, Baronium, Pallavicinum, Richelium, Petavium & Sirmondum à Theologis noſtris adduci tamquam ſententiæ noſtræ patronos didici. Loquere jam, ſi vir es; ad hujuſmodi hominum autoritatem quid reſpondes?

Nic. Illi nihil vobis patrocinantur: Nam cum quæ de libri ſenſu inſtituitur quæſtio, ea juris ſit, non facti, ut ipſe conceſſiſti; quidquid ex Bellarmino aliiſque congeſſerunt pro ſe ſupplices Janſeniani, ad rem nihil facit. Quod quò clariùs perſpicias, allatos ab adverſariis locos conſideremus. Placetne à Bellarmino incipiam?

Phil. Ego ipſe recitabo Bellarmini verba: de Rom. Pont. lib. 4. cap. 2. *Conveniunt*, inquit, *omnes Catholici & hæretici poſſe Pontificem etiam ut Pontificem, & cum ſuo cœtu Conſiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione teſtimoniiſque hominum præcipuè pendent.*

Nic. Ex hoc loco quid eruas ampliùs, quàm in quæſtionibus facti,

facti, qualis E. C. hæc eſt, an Caius Titium occiderit, Pontificem errare poſſe? hoc nos ultro confitemur, hoc non diſſimulant ipſi Pontifices, hoc cap. 5. de reſcriptis teſtatur Alexander III. quin immo hoc Innocentius itidem III. cap. 18. de ſent. excom. de tota declarat Eccleſia his verbis: *Judicium Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli propter quod contingit interdum, ut ..... qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſticâ ſit ſententiâ innodatus.* At verò quæſtionem, quâ quis ſit libri alicujus ſenſus, quærit Pontifex aut Eccleſia, non eſſe controverſiam facti, antea fidem feci. Unde ſuâ ſponte quodammodo profluit hoc argumentum: controverſia, in qua poſſe Pontificem errare Bellarminus affirmat, eſt controverſia facti: atqui controverſia de ſenſu libri alicujus non eſt controverſia facti: ergo controverſia de ſenſu libri alicujus non eſt controverſia, in qua poſſe Pontificem errare affirmat Bellarminus. Quid clarius deſideras? quid magis evidens?

Phil. Operosè, Nicoſtrate, doctiſſimum illum Cardinalem tibi vindicare niteris, ſed fruſtra: quippe quam tu juris dicis, hanc ille facti quæſtionem exiſtimat. Hoc autem ſic probo: poſtquam cap. 11. ibidem admiſerat dici poſſe, *Patres VI. Synodi damnaſſe quidem Honorium, ſed ex falſâ informatione, ac proinde in eo judicio erraſſe*: Hanc rationem ſubnectit: *Quamvis enim generale Concilium legitimum non poſſit errare, ut neque erravit hoc ſextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare poteſt in quæſtionibus de facto.* An vir doctiſſimus in hac ratione aliquid poſuiſſet ponderis, ſi non putaſſet agitatam de Honorio quæſtionem facti eſſe?

Nic. Facti fuit de Honorio quæſtio; hoc ego numquam negavero.

Phil. Captus es, Nicoſtrate; en tibi nodum herculeum: talis fuit quæſtio de Janſenio, qualis fuit quæſtio de Honorio: atqui, vel te fatente, de Honorio fuit quæſtio facti: ergo etiam de Janſenio fuit quæſtio facti.

Nic. Hic nodus, quem immeritò herculeum appellas, facilè diſſolvitur: neque enim quidquam eſt tuâ majore propoſitione falſius. Juxta Bellarminum quærebatur in VI. Synodo, *an Honorius fuiſſet hæreticus, falſum aliquid contra fidem pertinaciter credendo.* Quæ controverſia cum ex informatione teſtimoniiſque hominum præcipuè pendeat, jure merito & à Bellarmino, & à me quæſtio facti dicitur.

citur. Verùm an ſimile aliquid quærebatur de Janſenio ? de libri dumtaxat ſeu ſcriptionis ſenſu mota lis eſt, non de perſona Janſenii; parcitum perſonæ volebant Pontifices, doctrinam hæreticam damnatam.

Phil. Nondum acquieſco: etenim cum eodem capite dicat Bellarminus: *itaque tutò dicere poſſumus, eos Patres deceptos ex falſis rumoribus, &* NON INTELLECTIS HONORII EPISTOLIS, *immeritò cum hæreticis commemorare Honorium*; cur nos quoque tutò dicere non poſſumus Pontifices, non intellecto Janſenii libro, immeritò illius doctrinam damnaſſe?

Nic. Uti difficultas illa eſt ſubtilior, ita etiam meum eſt agere paullò preſſiùs, & Bellarmini Propoſitionem uſitato inter Scholaſticos more diſtinguere: *Tutò dicere poſſumus, eos Patres deceptos....* NON INTELLECTIS HONORII EPISTOLIS, hoc eſt, Catholica Honorii dogmata declarando hæretica, nego: neque enim hic error ex ſententia Bellarmini in œcumenicam Synodum cadere ullo modo poteſt. *Tutò dicere poſſumus, eos Patres deceptos....* NON INTELLECTIS HONORII EPISTOLIS, Hoc eſt, indictum ab Honorio de duabus Chriſti voluntatibus & operationibus ſilentium interpretando malè, quaſi hæretico indictum eſſet animo renuente duas in Chriſto operationes confiteri, concedo. Sed hîc ego tuam fidem, Philadelphe, nonne quærere, quo animo voluerit Honorius de gemina in Chriſto voluntate taceri, facti controverſia eſt, quæ ex nullis juris principiis decidi queat? Eant nunc ſupplices Janſeniani, & aliquod ſibi in Bellarmino præſidium conſtitutum eſſe apud imperitum Theologorum vulgus jactitent. Nunc agam tecum liberaliùs, affirmaverit ſanè Eminentiſſimus Cardinalis fieri potuiſſe, ut Epiſtolas Honorii non intellexerit VI Synodus, quid inde tibi ſubſidii comparabis?

Phil. Concludam: ergo etiam fieri potuit, ut Innocentius X & Alexander VII cum cœtu Cardinalium non intellexerint librum Janſenii.

Nic. Argumentaris pingui minervâ, ut aiunt. Mox ego planum faciam hîc ingens eſſe diſcrimen. Antè oportet aliquid te interrogem. Tune nominatos Pontifices, & Cardinales Latinè ſciviſſe autumas?

Phil. Ridicula profectò quæſtio. Quis mortalium iſta de re dubitavit umquam?

Nic.

Nic. Hoc tamen antè interrogandum exiſtimavi; neque te celabo cauſam. Nuper incidi in libellum, qui inſcribitur: *Lettre d'un Abbé à un Prelat de la Cour de Rome ſur le Decret de l'Inquiſition du 7 Decembre* 1690 *contre* 31 *Propoſitions.* Ille Abbas creditur Pater veſter Jubilarius, aliàs Antonius Arnaldus. In iſto autem libello apud me pag. 31. legere eſt *maximam partem Cardinalium, qui conſuluntur in S. Officio, nihil prorſus intelligere.* Neque hoc ſat eſt: *Quantùm*, inquit ibidem, *ad Pontificem attinet, ſcitur, quid ad Decreta conferat, imnuo ſcitur eum idoneum non eſſe qui conferat multum. Pour le Pape, on ſçait bien quelle part il y a, & qu'il n'eſt point en etat d'y en prendre beaucoup.*

Phil. Quid ais? Hæccine Arnaldus noſter de ſummo Pontifice?

Nic. Hæc Pater veſter Jubilarius Arnaldus de Pontifice. Hæc de illo, quem Florentina Synodus definit eſſe *verum Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac* Doctorem. Hæc Pater veſter Jubilarius de S. R. Eccleſiæ Cardinalibus, ad quos olim ita ſcripſit Bernardus epiſt. 188. *Nulli dubium, quin ad vos ſpecialiter ſpectet tollere ſcandala de regno Dei, ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas.* Hæc de illis, inquam, S. Eccleſiæ Principibus Pater Jubilarius.

Phil. Non poſſum adduci ut credam.

Nic. Libellum ipſum conſule, & illa quo dixi loco reperies.

Phil. Totus exhorreſco.

Nic. Nunc tandem, Philadelphe, credere incipio te in hac materia à communi Janſeniſtarum placito multùm recedere, dum ſic loqueris. Tantùm enim abeſt, ut reliqui Janſenii aſſeclæ ab ejuſmodi in Romanum Pontificem injuriis & calumniis abhorreant, ut ex illis tamquam è feſtivis ſalibus aucupentur gloriam, vel potiùs ſcurrilem plauſum, ſicuti 9 Maii in Hallis agere meditabatur aliquis ſannio impudens.

Phil. Quid hoece rei eſt? Nihil prorſus ſcio: ab Hallis aberam.

Nic. Ego ab urbe quoque aberam, & tametſi Amicorum aliquis quamprimùm rediturum me ſciret, tamen rem tam indignam ſignificare mihi non diſtulit. Habeo hîc ipſius litterarum fragmentum: ſic ſcribit:

Viſi ſunt Lovanii D. Ægidius de VVitte, D. Vander Linde, D. Andreas vander Schuer, D. Carolus de Bont, P. Ægidius Gabrielis, & ceteri Janſeniſticæ factionis prin-

principes. Immo dubitatur, an non adfuerit ipſum caput Antonius Arnaldus. D. *Carolus de Bont* 9 *hujus* (id eſt Maii) *argumentatus eſt in Hallis. Multa non ſat reverenter effutiit contra Pontificis infallibilitatem in damnando ſenſu Janſenii. Et cum ipſi opponerentur hæc ſcripturæ verba*: COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS, *auſus eſt homuncio impudens dicere; etiam Ampliſſimus D. Du Bois hîc eſt* COLUMNA ET FIRMAMENTUM VERITATIS. *Niſi Eximius Pater ac Magiſter Martinus Harney (qui tunc, ſingulari Numinis diſpenſante providentiâ, præſidebat) indixiſſet ſilentium, fuiſſet ſubſumpturus: atqui iſta* COLUMNA, *iſtud* FIRMAMENTUM *nutat, vacillat, claudicat: ergo &c. non temerè iſta conjicio. Pygmæum illum hoc habuiſſe in animo, affirmarunt mihi plures Janſeniſticæ factioni adhærentes Theologi, qui fortè ad ſcurriliter plaudendum conducti erant. Id ipſum etiam ſatis ſuperque inſinuavit D. Andreas vander Schuer, qui cum in officina Fr. Novitii à R. admodum D. Vivien Divi Petri Canonico & Eximii D. Gummari Huygens Commenſali interrogaretur, quî ceſſiſſet argumentum D. Caroli de Bont, reſpondit, minimè ex animi ſententia; aliquas quidem habuit facetias, ſed quando ad caput rei perventum erat, juſſus eſt tacere. Quid? Inquit indignatus D. Canonicus, non ergo aderat Eximius Huygens? Non, reſpondet Dominus vander Schuer. Tum ſubdit Canonicus voce ſat flebili: hoc profectò eſt deplorandum; ſi &c.* Hæc ille. Quid judicas? Nonne, ſi meditatum facinus ſucceſſiſſet, Pygmæus ille egregiam laudem, & Gygantæa retuliſſet ſpolia? Uſque adeò Janſenianis vilis eſt Romani Pontificis autoritas. Atque ea ratio fuit, cur ex te percunctatus ſim, an crederes Romanos Pontifices & Cardinales latinè intelligere. Etenim cum te ex aliorum judicarem ingenio, hoc te negaturum putaram, aut certè vocaturum in dubium. Sed lætor, quòd mea me fefellerit opinio. Jam ad propoſitum revertamur. Cum Innocentius X, & Alexander VII & Cardinales Latini idiomatis ignari non fuerint, cumque liber Janſenii ſcriptus eſſet latinè, & expoſitus Examinatorum oculis, & diligenter evolutus ab ipſo etiam Pontifice, fieri non potuit, ut ejus ſenſum non intelligerent. At verò Patres VI Synodi erant homines Græci, rudes Latini idiomatis. Quid igitur mirum eſt, ſi Epiſtolas Honorii latinè ſcriptas fortè non intellexerint?

Phil. An igitur Epiſtolæ Honorii non erant græcè redditæ?

Nic. Erant quidem, ſed redit eadem de interprete quæſtio, an & græcè & latinè ſatis doctus nuſquam aberraverit.

Phil. Procul dubio illius Synodi Patres ſelegerint interpretem utriuſque ſermonis peritiſſimum.

Nic. Demus id ſanè; nec hilum proficis: fortè Honorii men-

 tem

tem haud ſatis aſſecutus eſt ob ſubtilioris quæſtionis inſcitiam; fortè infidus fuit, fortè malevolus, fortè Honorio occultè inimicus, & ut aliquam ipſius nomini labem apud Græcos aſpergeret, Monotheliſmum ſuâ ſponte & deditâ operâ inſeruit. Quid plura? Nonne iſta omnia perſuadent Patres VI. Synodi facilè potuiſſe decipi? Patribus autem in hunc modum deceptis, quis non videat librum etiam optimum, & ſanctiſſima quæque Religionis noſtræ complexum myſteria proſcribi poſſe tamquam impium, tamquam hæreticum, qui verè pius ſit, verè Catholicus?

Phil. Tua illa reſponſio, Nicoſtrate, parum videtur congruere cum poſitis antè principiis: non enim hæc facti quæſtio eſt, in qua dicebas falli poſſe Concilia & Pontifices.

Nic. Eſt quàm quæ maxime: quippe cum Patres VI. Synodi ob latini ſermonis ignorantiam latinarum vocum inſtitutionem & fontes conſulere ipſi non poſſent, neceſſe erat alios adhibere in conſilium, & illorum ſtare judicio; atque adeò tota de epiſtolis Honorii controverſia *ex informatione teſtimoniiſque hominum* præcipuè pendebat; ex hominum, inquam, decidebatur teſtimoniis, non (quod ad quæſtionem juris requiritur) ex lege & communi ſignificatione verborum. Atque ut alia, quæ penè ſunt innumerabilia, prætermittam; litteras Honorii græcâ fide redditas fuiſſe inſinuat S. Maximus: nam objicienti Pyrrho: *Quid tu habes, quod reſpondeas de Honorio, qui litteris ſuis ..... unicam planè voluntatem Domini noſtri Ieſu Chriſti profeſſus eſt?* Statim reſpondit: *Vtra harum litterarum verior, certiorque interpretatio habenda eſt, ejuſne ſcribæ, qui nomine Honorii illas ſcripſit, ... an Conſtantinopolitanorum civium, qui nihil, niſi quod illis libet, loquuntur?*

Phil. De his jam ſatis multa, Nicoſtrate, vel plura fortaſſe, quàm neceſſe fuit. Non patrocinetur nobis Bellarminus. Parum noſtrâ intereſt: eſt enim è *nigra Eſcobarii turba* aſſumptus ad purpuram. Veniamus ad Baronium.

Nic. Quoniam ita lubet, deſinam: hoc unum tamen te monitum velim, ut iterum iterumque conſideres nihil ſimile eſſe in cauſa Janſenii. Jam verò Baronium, alterum (uti vos quidem exiſtimatis) malè fundatæ aſſumptionis fulcrum vobis ereptum eo.

Phil. Eris mihi magnus (quod aiunt) Apollo, ſi iſtud feceris. Quid cauſam noſtram magis juvet, quàm hæc purpurati illius Hiſtorici in ſupplicatione allegata verba: *in iis, quæ ad perſonas pertinent, ET SCRIPTA IPSARUM, non ita rigidè reperitur cuſtodita cenſura?*

Nic,

Nic. Loquitur duriuſculè, non inficior: tamen confido futurum, ut & illum mihi vindicem. Sed pace tuâ priùs Bellarminum repetam: pacto enim neſcio quo impoſturam Janſeniſtarum prætermiſi planè inſignem ac palmare mendacium. Hoc evulgandum eſt, quo cautiùs Janſeniſtici libri volvantur.

Phil. Quid? Tune illos Theologos, quibus nihil magis, quàm veritas curæ eſt, mendacii arguas?

Nic. Obſtupeſcere iſtud videris mihi, quaſi verò res nova ſit Janſeniſtam mentiri. Revolve animo parœmiam gallicam, *Il ment comme un Janſeniſte.* Et ne te diutiùs de commilitonum tuorum impoſtura & mendacio ſuſpenſum teneam, vide quid §. 2. de Bellarmino habeant: *Circa Honorii litteras*, inquiunt, *deceptos fuiſſe Leonem II. Adrianum II. & Synodum VII. affirmat ibidem.* Totum illum locum, hoc eſt, lib. 4. de Pont. cap. 11. volvi & revolvi ſæpiùs, nil tale reperio. Sic faciunt Bellarminum ea dicere, quæ ne ſomniavit quidem. An & hoc, Arnalde, factum eſt *par megarde*, per incogitantiam, ſicuti dum adulteraſti theſes R. P. Joſephi de Reux?

Phil. Hæc in Bellarmino reperiri, auſim ego vel jurejurando affirmare, etiamſi non meminerim me illa ibi legere. Tanti eſt mihi iſtorum hominum autoritas.

Nic. Temerarium & abſurdum caput! jurare auſis id, quod homines neſcio qui ex fraude & mendacio conſuti temerè aſſeverant; & quod de ſenſu Janſenii aſſeverat Summus Pontifex, Dei Internuncius, columna & firmamentum veritatis, hoc jurare tibi religioni ducis? Hæccine docet ethica veſtra tutior?

Phil. Hæc incogitans dixi, Nicoſtrate; lingua mentem præverterat.

Nic. Honeſta ratio eſt. Sed quin magis patefacio ſupplicantium Janſeniſtarum impoſturas adductis, Bellarmini locis, ubi (ſi qua eſſet apud ipſos fides) ea de Leone, Adriano & Synodo VII dicere deberet? Ergo Bellarminum audi. *Dico*, inquit citato ab ipſis capite, *Epiſtolam Leonis* (ad Imperatorem Conſtantinum) *ab iiſdem eſſe corruptam, à quibus corrupta eſt ſexta Synodus ..... vel certè Leo ſecutus eſt judicium Legatorum Agathonis, ne diſturbaret negotium jam confectum.* Judicium autem Legatorum erat, non eſſe impediendam damnationem Honorii: *verebantur enim Legati* (ut paullò antè dixerat idem Bellarminus) *ſi reclamarent, ne impediretur definitio recta fidei, & non poſſet tolli ſchiſma, quod annis LX. jam duraverat.* Eſtne hìc vel apex, unde conjicias *Leonem II circa Honorii litteras deceptum fuiſſe?*

Phil.

Phil. Quid habet de Adriano?

Nic. Neque ille locus vobis ſuffragatur : *Reſpondeo*, inquit, *Adrianum . . . non apertè dicere, Honorium fuiſſe hæreticum; ſed ſolùm, dictum ei fuiſſe anathema ab Orientalibus, quia de hæreſi fuerat accuſatus . . . . . . atque hæc quidem dicimus, ſi defendantur acta VI Synodi tamquam integra : nam ſi dicamus eſſe corrupta, reſpondendum erit, Adrianum deceptum fuiſſe ex depravatis illis actis VI Synodi.* Quæ hîc mentio eſt litterarum Honorii? Neque abſimili ratione agit de Synodo VII. *Reſpondeo*, inquit ibidem, *Patres VII Synodi ſequutos eſſe Synodum ſextam, & ſolùm repetiviſſe quod in ea legerant : proinde deceptos fuiſſe ex ſexta Synodo, quæ vel corrupta erat, vel per errorem Honorium damnaverat.* Huc aures, huc animum, Philadelphe; an non citiùs oleum è pumice, quàm ex hiſce à Janſeniana factione aſſignatis locis elicias *Leonem II. Adrianum II. & Synodum VII deceptos fuiſſe circa litteras Honorii?* Tamen hoc à Bellarmino dici, confidenter pronunciant Janſeniani, tamquam ſi eſſet luce Meridianâ clarius. Quid tandem erit mendacium dicere, ſi hoc non eſt?

Phil. Doleo, Nicoſtrate, quòd tale mendum in tam elaboratum opuſculum præ incogitantia irrepſerit. Non enim poterimus in poſterum Ripaldæ erratum in citando Proſpero Jeſuitis objicere. Quin immo facundum & elegantem ſtylum ſtringet fortaſſe Joannes Segers, & quemadmodum nuper Arnaldo, ita etiam nunc nobis omnibus exprobrabit fraudem in adulterandis libris & malam fidem; noſque exponet totius orbis ludibrio.

Nic. Neque injuria; nam etſi ubique mentiri vobis ſolenne ſit, ita ut in vos optimè quadret illud Sybillinum carmen:

Ψεῦσται, ἀπιστόκοροι, κακοπράγμονες, οὐδὲν ἀληθεῖς.

Abſque fide, ſcelerati & numquam vera loquentes.

Tamen mentiri in hoc libello ſupplice habet neſcio quam ſingularem turpitudinem : etenim ſi ridebantur olim Philoſophi, quòd etiam in ipſis illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribebant, nomen ſuum inſcriberent : quòd in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciebant, prædicari ſe ac nominari vellent : quanto magis, Philadelphe, ridendi ſunt tui illi ſupplices Theologi, quod in illa ipſa ſupplicatione, in qua juramentum deprecantur propter mendacii ac perjurii periculum, tam ſplendidè tamque improbè mentiantur. Sed non eos ſolicitant irriſiones hominum, ſcio, frontem habent meretriciam, neſciam erubeſcere, certi vel in hoc Arnaldum ſequi. Ad te autem quod attinet, jamne auſis in iſtorum hominum dicta jurare?

Phil.

Phil. Iſta obliterentur. ſaltem Feliciores fuerunt in citando Baronio. Hujus mentem, nondum expoſuiſti, quod facturum te receperas.

Nic. Baronii mentem diſcutiemus poſtea, ubi libuerit. Jam oppidò defeſſus ſum argumentando.

Phil. Confabulemur igitur de rebus aliis levioris momenti.

CONTENTIO IV.

De mente Eminentiſsimi Cardinalis Baronii.

PHil. Salvus ſis, Nicoſtrate, nihilne habes novi?

Nic. Nihil. Diſputationes noſtras repetamus.

Phil. Mentem Baronii mihi explica, nihil audiero lubentiùs.

Nic. Fidem meam liberabo hodie, modò me eâ, quâ cœpiſti, benevolentiâ audias. Quod inſinuat præclarus ille ſcriptor, Concilium falli poſſe *in iis, quæ ad perſonas pertinent*, iſtud nihil omnino ſupplicantes juvat, ut patet ex iis quæ antè diſceptavimus. At verò annexa illa verba ET SCRIPTA IPSARUM locum efficiunt duriuſculum. Itaque Scholaſtico ritu rurſus illa diſtinguo: *in iis, quæ ad perſonarum ſcripta pertinent*, falli poteſt œcumenica Synodus, ſcripta aliis attribuendo atque veris Autoribus, vel etiam interiorem perſonarum ſcribentium ſenſum ſeu judicium non aſſequendo. Aſſentior: ſic non magis ſupplicibus favet, quàm ſi dixiſſet Concilium quodpiam cædem Arſenii V. G. innocenti Athanaſio attribuiſſe, eumque condemnaſſe ut homicidam. Jam diſtinctionis membrum alterum accipe: *in iis, quæ ad perſonarum ſcripta pertinent*, falli poteſt œcumenica Synodus ſcriptionis aut libri ſenſum perperam intelligendo, & ſic intellectum damnando aut approbando. Nego: hanc enim quæſtionem juris eſſe jam dudum evici.

Phil. Si illa Baronii mens fuerit, cur Vir eloquens eam non expreſſit clariùs magiſque diſtinctè?

Nic. Ratio in promptu eſt, quia nondum graſſante Janſenianâ lue non putabat ſe aliter intelligi.

Phil. Ridicula iſtæc reſponſio eſt.

Nic. Ergo etiam ridicula eſt reſponſio Auguſtini lib. 1. contra Julianum cap. 6. ubi Julianum quærentem, cur S. Chryſoſtomus Sententiam ſuam de peccatis parvulorum non clariùs expreſſiſſet, ita refutat: *quia*, inquit, *diſputans in Catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus ſecuriùs loquebatur.* An eſt ovum ovo ſimilius, quàm hæc Auguſtini reſponſio ſimilis eſt meæ?

Phil. Semper invenis aliquid, quo immiſſum arietem retundas. Nuper mihi erat cum alio Theologo de mente Baronii acris contentio. Objiciebam idem argumentum, ſed longè aliter illud ſtudebat refellere. Baronius, inquiebat, erat totus in defenſione Honorii, aſperſam ejus nomini labem ardebat eluere; igitur nihil mirum eſt, inferebat ille, in tanto Honorium propugnandi impetu verbum elapſum eſſe duriuſculum. De iſta ſolutione, Nicoſtrate, quid cenſes?

Nic. Mihi quidem non diſplicet, elegans eſt & ingenioſa: nam, ut eſt apud Theodoretum tom. 4. pag. 170. *Η σφόδρα πρὸς τοὺς ἀντιπάλους διαμάχη τῆς ἀμετρίας αἰτία. Vehemens cum adverſariis contentio facit, ut modus excedatur.* "Hoc & iis qui arbores colunt, evenire ſolet. Cum „enim incurvam plantam viderint, non ſolùm ad rectam normam erigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per „nimiam in contrarium inclinationem ad rectum ſtatum perducatur.

Phil. Hoc non poteram in animum inducere de tali viro, qualis erat Baronius.

Nic. An neſcis hoc contigiſſe etiam SS. Patribus, cum adverſus Eccleſiæ hoſtes pugnam conſererent? Gregorius Thaumaturnus, dum impugnat Ælianum Ethnicum Chriſtianos polytheiſmi inſimulantem, ita de Deo uno egit, ut cum Sabellio videatur confundere Perſonas. Dionyſius Alexandrinus, dum confutat Sabellium, ita Perſonas diſtinguit, ut nonnullis videatur ipſam divinam naturam dividere. Auguſtinus, dum adverſus Manichæos agit, deſtruere gratiam videtur; dum adverſus Pelagianos, liberum arbitrium. Quod ſi tales ac tanti viri præ nimio expugnandi adverſarios ardore propenderint in errorem contrarium, quid mirum eſt, ſi Baronius, cum ad Honorium defendendum diceret *non ita rigidè cuſtoditam cenſuram eſſe in iis quæ ad perſonas pertinent*, adjunxerit aliquid amplius, minus volens intelligi?

Phil. Si Baronius minus voluerit intelligi, quàm revera dixit, quare

quare attulit exemplum quintæ Synodi ? *patens* , ait , *exemplum eſt de quinta Synodo, quæ tria capitula condemnavit de quibus à Sacroſancto Chalcedonenſi Concilio videri poterat aliter actum* , *nempe de Theodoro, Theodoreto & Iba.*

Nic. Quidni hoc etiam potuit proficiſci ex incitatiſſimo impetu protegendi Honorium ?

Phil Ut ut eſt, illud tibi exemplum nocet , & meritò à noſtris Theologis tanquam validiſſimum telum jacitur in Belgii Epiſcopos.

Nic. Imbelle telum eſt & ſine ictu. Quid enim ? an uſpiam dicit Baronius eſſe à Concilio Chalcedonenſi approbata tria capitula , quæ fulminavit V. Synodus ?

Phil. Non. E contrario ad annum 448. operoſiſſimè oſtenderat id jure poſſe videri nemini.

Nic. An igitur dixit perſonas , quæ à Chalcedonenſi abſolutæ fuerant , condemnatas eſſe à V. Synodo.

Phil. Neque iſtud quidem, ſaltem quoad memini.

Nic. Rectè reſpondiſti , Philadelphe ; immo hoc tantum abeſt à mente Baronii , ut ad annum 564. ipſemet profiteatur , *perſpicuè pleneque cognitum fuiſſe* nihil derogaſſe V. Synodum Chalcedonenſi Concilio. Hæc cum ita ſint , non video quî illud telum validiſſimum appelles.

Phil. Nimium conceſſi imprudens , in laqueum me ipſe induxi.

Nic. Ne tranſverſum quidem unguem aberraſti à vero , dum illa conceſſiſti.

Phil. Si illa vera ſint , quomodo potuit Baronius dicere , à *à ſacroſancto Chalcedonenſi Concilio aliter actum eſſe.*

Nic. Noli Janſenianâ fide Baronii mutilare verba : non enim dicit : *aliter actum eſt*, nec etiam *videtur aliter actum*, ſed *videri poterat aliter actum* , putà imperitis , qui cum Theodoreti & Ibæ ſcripta à V. Synodo damnari cernerent, facilè exiſtimare poterant, damnari etiam ipſas perſonas , quæ à Patribus Chalcedonenſibus abſolutæ fuerant. Quamquam quid opus erat tam multis ? Se hîc duriùs locutum eſſe , ipſe agnoſcere videtur Baronius , quoniam ſtatim ſubjungit : *At iſta dixerimus , ut quaquaverſum oſtenderemus Honorium omni ex parte ab hæreſis vindicatum errore : cùm tamen nunquam prorſus rem talem ſynodo maximè indignam, tot refragantibus teſtimoniis , eidem adſcripſerimus.*

Phil. Etiamſi diu , Nicoſtrate , Lovanio abfueris , tamen ſuper hac re ſatis copioſè diſſeris.

Nic.

Nic. In patria, ſingulari ſtudio adverſus hujuſmodi tela me munii, ut Lovanium redux Janſeniſtis me à ſubſcribendo formulæ avocaturis fortiter reſiſterem. Supplicationis ordo poſtulat, ut eamus quoque ad Pallavicinum, Richelium, Petavium, Sirmondum & (ſi lubet) etiam ad Ampliſſimum Steyartium.

Phil. Nihil neceſſe eſt id laboris ſubeas. Nam memoratos Autores dumtaxat agere de facti controverſiis, quæ ex teſtimoniis hominum dirimuntur, ipſi profitentur ſupplices ac præ ſe ferunt. Eapropter hiſce autoritatibus aërem verberant, quamdiu non oſtenderint ſenſum libri indagare eſſe facti quæſtionem.

Nic. Eſſe hanc quæſtionem juris mihi antè aſſenſus es. Jam igitur ex iis omnibus, quæ diſputavimus hactenus, ſecurè conclude cum tuis Theologis in ſupplicatione: *Poteſt in eo* (id eſt in definiendo ſenſu Janſenii) *Eccleſiæ infallibilitas deficere.* Dic etiam id quod dicitur in dialogo illo Flandrico inter Rechthert & Waermont ſine approbatione, ſine nomine autoris, ſine loci & temporis appoſitione in lucem edito: *jurare 5. propoſitiones à Pontifice damnatas in Janſenio contineri, non magis fas eſt, quàm jurare Janſenium fuiſſe Lenonem, furem aut ebrioſum hominem.*

Phil. Non ego jam dixero iſtud tam liberè, quàm antea.

Nic. Quid ergo ſupereſt, Philadelphe, niſi ut tandem fatearis te jurare poſſe ſine ullo ſcrupulo, ſine ullo pejerandi periculo in formulam ab Alexandro VII. & Illuſtriſſimo propoſitam?

Phil. Domum me vocat jam jam à Præſide noſtro habenda lectio.

Nic. Te domum uſque comitabor. Inter eundum colloquemur de iſta materia.

CONTENTIO V.

Oſtenditur ad hominem in Pontificem judicantem de ſenſu Janſenii nullum errorem potuiſſe cadere, & Autor diſquiſitionis de mente Eximii atque Ampliſſimi D. Steyartii antilogiæ convincitur.

Phil. Sudum eſt cœlum, Nicoſtrate. Quid ſi hodie diſputemus ambulantes, ut olim in more poſitum erat apud Peripateticos?

Nic.

Nic. Ut lubet. Obambulemus mœnia. Si tibi, Philadelphe, nondum ſatis conſtet Pontificem non erraſſe in declarando ſenſu Janſenii, alia adhuc ſuper hac re afferam argumenta, & , ut vocant, ad hominem.

Phil. Supereſſe alia non ignoro: nuper in diſputatione domeſtica premebat aliquis argumentum in hoc genere tam ineluctabile, ut Præſes noſter redigeretur ad incitas, & *adinſtar colubri tortuoſi* ſeſe in varios gyros convolveret.

Nic. Nonne poſtea ſolvit nodum?

Phil. Nequaquam. Sed poſteaquam effutierat neſcio quæ, argumentum explodebat ſibilo.

Nic. Næ ille Præſes multò obſervantior eſt ſummi Pontificis, quàm fuit Autor inſtructionis vindicatæ. Hic tale argumentum ne ſibilo quidem dignaretur: nam pag. 3. non erubeſcit ſic ſcribere: *Aſſertio de infallibilitate Romani Pontificis in quæſtionibus facti* (id eſt de ſenſu libri) *vix ſibilo meretur excipi.* At cedo, obſecro, quodnam erat iſtud argumentum?

Phil. Vix ipſe memini. De ſenſu D. Auguſtini approbato multa ultro citroque dicebantur.

Nic. Quodnam fuerit iſtud argumentum, nunc capio. Licetne juxta Præſidis veſtri ſententiam tantillum diſcedere ab Auguſtini doctrina?

Phil. Non, ſaltem ab illa, quâ impia Pelagianorum dogmata confutavit.

Nic. Satis exiſtimaveram: novi enim iſtius furfuris homines. Licet Iprenſis Auguſtini, non Hipponenſis ſint diſcipuli; tamen perinde atque olim hæreſiarcha Wicleffus S. Auguſtinum, Auguſtinum ingeminant. Quippe legerunt apud Patriarcham ſuum Janſenium hæc S. Auguſtini præconia: *Pater Patrum, Doctor Doctorum, primus poſt ſcriptores Canonicos, irrefragabilis* aliaque complura. Jam verò ediſſere mihi, unde tanta S. Auguſtino autoritas?

Phil. A Præſide noſtro audivi perſæpè, omnem Auguſtino autoritatem acceſſiſſe à Gelaſio Papa, à Cœleſtino, Hormiſda, Joanne & tandem etiam ab Alexandro VII. ejus doctrinam approbantibus tamquam inconcuſſa tutiſſimaque fidei Catholicæ dogmata.

Nic. At nonne Pontifices illi potuerunt aberrare ab Auguſtini ſenſu, ac præſertim Alexander VII. ſicuti aberraſſe illum dicitis à ſenſu Janſenii?

Phil. Minimè.

Nic. Hoc ridiculum eſt. Si hic ſuo ſe non jugulet gladio, cauſam non dico, quin plumbeus aut ſtipes habeatur. Attende, quæſo Philadelphe; ſi Alexandri VII. aliorumque Pontificum judicium in approbando ſenſu S. Auguſtini nulli erroris periculo obnoxium eſt, cur periculo iſti obnoxium ſit in condemnando ſenſu Janſenii?

Phil. De ſenſu Janſenii, ut ait Præſes noſter, quæſtio facti eſt.

Nic. An ergo juxta Præſidem veſtrum quæſtio de ſenſu S. Auguſtini juris quæſtio eſt?

Phil. Hoc ego non novi.

Nic. Ut ut eſt; ubi feret occaſio, hominem ſic conſtringe: Quæſtio de ſenſu S. Auguſtini à Pontifice infallibiliter decidi poteſt: atqui talis eſt quæſtio de ſenſu Janſenii, qualis eſt quæſtio de ſenſu S. Auguſtini: ergo quæſtio de ſenſu Janſenii à Pontifice infallibiliter decidi poteſt. Quovis certabo pignore futurum, ut Præſes veſter ſeſe hoc laqueo non expediat.

Phil. Quid ſi aſſumptionem perneget?

Nic. Roga, ut diſparem utriuſque rationem aſſignet, quam nemo facilè inveniat. Demum quidquid de altera quæſtione dixerit, tu etiam alteri accommoda.

Phil. O Nicoſtrate, tu mihi hodie non tam bellè dices, ut hoc Præſidi noſtro objiciam: non enim eſt, ſicut D. Sulivan & D. Lovinus, ἐκ πώγωνος σοφός, id eſt, barbâ tenus ſapiens, ſive non tantùm braccas geſtat & reliqua inſignia doctoris, verùm etiam valet ingenio. Et procul dubio viderit *Diſquiſitionem de mente Eximii atque Ampliſſimi viri Martini Steyartii.* Argumentum tuum ibi liquidiſſimè ſolvitur pag. 3. ubi hæc leguntur: *dum Pontifices approbarunt doctrinam gratia in ſenſu Auguſtini; non duas quæſtiones definierunt, alteram juris, alteram facti: ſed quæſtione facti ſuppoſitâ, tamquam qua certa foret ac notoria, ſolam definierunt quæſtionem juris. Suppoſuerunt ſcilicet, certum eſſe ac notorium, quanam eſſet doctrina Auguſtini de gratia, quod eſt facti: eo autem ſuppoſito, doctrinam illam Catholicam eſſe definierunt, quod eſt juris.*

Nic. Hæccine tibi ſolida videtur ſolutio? an jam nunc oblitus es utramque quæſtionem juris eſſe? verùm age; finge animo hîc verum prædicari. Quò ſe vertat Autor diſquiſitionis aut etiam Præſes veſter, ſi hoc telum ita retorqueam? *Dum Pontifices condemnarunt 5. propoſitiones in ſenſu Janſenii; non duas quæſtiones definierunt, alteram juris, alteram facti: ſed quæſtione facti ſuppoſitâ, tamquam qua certa foret ac notoria, ſolam*

definie-

definierunt quæſtionem juris. Suppoſuerunt ſcilicet, certum eſſe ac notorium, quænam eſſent 5. propoſitiones Janſenii, quod eſt facti: eo autem ſuppoſito, propoſitiones illas hæreticas eſſe definierunt, quod eſt juris. Si illum, inquam, ita aggrediar, quò confugiet?

Phil. Supponere, inquiet, non poterant prudenter Pontifices, certum eſſe ac notorium, quænam eſſent 5 Propoſitiones Janſenii.

Nic. Pontifices potuerunt prudenter ſupponere certum eſſe ac notorium, quænam eſſet doctrina Auguſtini de gratia. Si hoc, cur non etiam illud? Age Philadelphe, aliquid diſcriminis aſſigna. Quid hæſitas? Sic oportet ſemper urgeas Præſidem tuum. Et ſi, ut tu facis, nihil reſpondeat, ipſum aggredere in hunc modum: Eximie Domine ac Magiſter, ſi Pontifices approbantes doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini, ſolam definierint quæſtionem juris, ut pugnat Diſquiſitor; licetne nobis juxta Patriarcham noſtrum Janſenium de doctrinæ illius veritate in ſenſu Auguſtini ſecuris eſſe?

Phil. Si verè S. Auguſtini Diſcipulus eſt, illud affirmabit certiſſimè.

Nic. Tum ſine mora conclude: ergo etiam licet nobis ſecuris eſſe de falſitate & hæreſi 5 Propoſitionum in ſenſu Janſenii, etſi Pontifices condemnantes 5 Propoſitiones in ſenſu Janſenii ſolam definierint quæſtionem juris. A pari.

Phil. Quid ſi antecedens negaverit?

Nic. Pete ab ipſo, quid igitur Auguſtinianæ doctrinæ profuit tot Pontificum approbatio? Quid nobis Auguſtinum præ reliquis Patribus commendas? Quid unum Auguſtinum inclamas? Et quod maximi apud veſtrum Præſidem erit momenti, fac proferas verba ipſius Janſenii: *Certi*, inquit lib. procem. cap. 28. *in Auguſtino ſumus, quod, ubi aliquid tanquam verum ſive hæreticos refellendo, ſive Catholicos inſtruendo, incunctanter affirmat, de perſpecta ei veritate, quamquam nobis fortè ignotâ, nec ſatis intellectâ ſecuri eſſe debeamus.* Hoc ariete impetitus concidet Idololatra Janſenii.

Phil. Volens tempori ſervire dicet fortaſſe cum Supplicibus Theologis §. 3. Eccleſiam non poſſe infallibiliter definire, quis ſit ſenſus Auguſtini.

Nic. Illos ſuperbè Supplices reviſemus poſtea. Non enim tam facilè poſſim hodiè dimittere Diſquiſitorem; Agedum ſtuporem homi-

hominis attende, vel potiùs inſaniam. Pugnantia ſe loqui non ſentit, quando ait : *dum Pontifices approbarunt doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini ; non duas quæſtiones definierunt , alteram juris, alteram facti : ſed . . . . . ſolam definierunt quæſtionem juris.*

Phil. Nihil hìc ego pugnare video : è contrario omnia inter ſe quam aptiſſimè cohærent.

Nic. An ergo cœcus es ? Dicit doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini eſſe approbatam , & eandem doctrinam in ſenſu Auguſtini approbatam eſſe negat. Hoc ego tibi ad oculum demonſtratum eo. Quando ſcribit hæc verba : *dum Pontifices approbarunt doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini* ; nonne manifeſtè affirmat doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini approbatam eſſe ?

Phil. Ita eſt.

Nic. Jam verò quando ſubjungit : *non duas quæſtiones definierunt* (Pontifices) *alteram juris , alteram facti : ſed quæſtione facti ſuppoſitâ , tamquam quæ certa foret ac notoria , ſolam definierunt quæſtionem juris* : nonne negat eandem doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini eſſe approbatam ?

Phil. Mihi ſaltem hoc non liquet.

Nic. An omnia præmanſa (ut faciunt nutrices pueris edentulis) debeo tibi in os inſerere ? Ergo auſculta : ſi Pontifices approbarint doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini , non ſolam quæſtionem juris definierunt , verùm etiam facti, ut vos loquimini ; ſive non tantùm definierunt qualis eſſet doctrina gratiæ, ſed etiam quæ eſſet. Quidquampe habes, quod iſti propoſitioni opponas ?

Phil. Nihil prorſus ; neque ullus eſt noſtræ factionis homo , qui hoc tibi neget. Quippe cum Alexander VII. 5 propoſitiones in ſenſu Janſenii proſcripſit , eum agnoſcimus quæſtiones duas definiiſſe, alteram juris , alteram facti. Hinc *factis reverentiam* promittimus, *dogmatibus fidem.*

Nic. Quid ſi Alexander condemnans 5 propoſitiones , ſolam definiſſet quæſtionem juris ?

Phil. Propoſitiones 5 in Janſenii ſenſu damnatæ non eſſent. Vel cœcus hoc videat.

Nic. Quid agis , Philadelphe ? Tu te ipſe magis irretis. Sic enim aſſumo : Atqui juxta Diſquiſitorem , dum Pontifices approbarunt doctrinam gratiæ , *non duas quæſtiones definierunt , alteram juris , alteram facti ; ſed . . . . ſolam definierunt quæſtionem juris* : Ergo juxta Diſquiſitorem dum Pontifices approbarunt doctrinam gratiæ , eam non approbarunt

barunt in ſenſu Auguſtini. Aſſumo ulteriùs : atqui juxta eundem *Pontifices approbarunt doctrinam gratiæ in ſenſu Auguſtini* : ergo quod erat demonſtrandum, eandem gratiæ doctrinam dicit approbatam eſſe in ſenſu Auguſtini, & non eſſe approbatam in ſenſu Auguſtini. Quod quî poſſit in ſanum ſinciput cadere, Janſeniſtarum ſit judicium.

Phil. Fateor, hanc ego antilogiam diluere omnino non poſſum : eſt enim ac ſi diceret : dum Philadelphus mœnia obambulabat colloquens cum Nicoſtrato; non duo membra corporis movebat, alterum pedes, alterum linguam, ſed motione linguæ ſuppoſitâ, ſolos movebat pedes. Sed quid dicam, Nicoſtrate ? Caritas facit, ut credam iſta ſcripta eſſe peregrinanti animo juxta Tritum illud :

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Nic. Huncecine tu inter ſcribendum dormitaſſe credas ? Immo verò ego crediderim eum numquam magis vigilaſſe. Reſpice adverſarium, quicum ipſi res eſt. Eſt Eximius & Ampliſſimus Dominus Steyart, qui eruditione ſuâ & ſaniore doctrinâ penè ſolus Theologicæ Academiæ decus ac dignitatem ſuſtinet. Quando cum tot palmarum viro digladiandum eſt, veſtri homines dormitant, ſcilicet. Crediderim illos helleboro candido tunc purgare cerebrum, ſicuti Carneadem ſcripturum adversùs Zenonem ſeciſſe accepimus.

Phil. Ah! Nicoſtrate, dimittamus illum Diſquiſitorem.

Nic. Per me licet, eat ad novum Collegium, & inter pueros diſcat non loqui pugnantia. In ipſius gratiam Profeſſor Dialectices, ubi pervenerit ad acceptionem vocum, dictabit fortaſsè, ut dictatum eſt adhuc aliàs, hanc propoſitionem, *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*, exponendam eſſe accommodè, ſive pro generibus ſingulorum. Quando Janſeniſticum virus conſpiciet in teneris puerorum animis ita inſtillari, quanto homo ille geſtiet gaudio! quantâ lætitiâ! Viſne jam redeamus ad ſupplices Theologos?

Phil. Id in proximum congreſſum rejiciamus : nam ex adverſo advenientem conſpicor Eruditiſſimum D. Petrum Melis. Ex illo ſciſcitabor, quare nondum aliquod eruditionis ſuæ ſpecimen præbuerit jam toties à Didaco de Oropega laceſſitus.

Nic. Iſtud age, & narra mihi poſtea, quid reſponſi retuleris.

CONTENTIO VI.

Expenditur ſupplicum Theologorum effugium.

PHIL. Argumentum Nicoſtrate, quo hodie mane tantopere gloriabaris, & quod noſtro Præſidi volebas à me propoſitum, mihi quidem non diſplicet. Illud domi ponderavi iterum iterumque. Sed tamen ſupplices noſtros Theologos non ferit: nam ut jam tum inſinuavi, Viri illi prudentiſſimi & altâ quâdam mente præditi, vim iſtius argumenti non rarò experti, jam dicere incipiunt Eccleſiam in definiendo Auguſtini ſenſu ab omni errandi periculo immunem non eſſe. *Fallibiliter*, inquiunt §. 3. *definire poteſt* (Eccleſia) *quis ſit ſenſus Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi &c. Item hæreticorum, Arii, Macedonii, Neſtorii, Pelagii, Lutheri, Calvini &c. ita ut... qui negaret eum eſſe ſenſum Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, Arii, Macedonii, Neſtorii, Pelagii, Lutheri, Calvini &c. quem Eccleſia fortè illorum eſſe definiret, hæreticus eſſe numquam poſſit.*

NIC. Ab eorum ſententia non abhorret Autor diſquiſitionis: nam *eſto*, inquit paginâ antea citatâ, *etiamſi Pontifices* (approbantes doctrinam S. Auguſtini) *definiviſſent, non ſolum quæſtionem juris, ſed & quæquæſtionem facti: quæſtionem tamen facti definire non potuiſſent judicio infallibili.* At verò neque ſic elabuntur *tortuoſi colubri.* Si me audire non graveris, Philadelphe, hoc videbis, quaſi ea quæ oculis cernuntur.

PHIL. Arrectis adſto auribus; age, tu incipe.

NIC. Loco à te citato dicunt iidem Theologi: *Poteſt Eccleſia* (cur denuò prætermittant Pontificem, tibi non eſt incognitum) *definire, definivitq; infallibiliter, quis ſit ſenſus Chriſti dicentis Matth.* 26. " Hoc eſt Corpus meum" *& Pauli eadem verba referentis* 1. *Cor.* 11. Unde ſic infero: ergo etiam poteſt Eccleſia definire, definivitque infallibiliter, quis ſit ſenſus Auguſtini, Arii, Neſtorii, Janſenii & aliorum. Quid enim? An quæſtio de SS. Patrum hæreticorumque ſenſu ex aliis decidenda eſt principiis, quàm quæſtio de Chriſti ſenſu vel Apoſtoli? Certè Pontifices & Concilia tum ad hanc, tum ad illam decidendam ſolent vim ſignificationemque verborum conſulere. Ad hoc probandum in promptu mihi eſt Tridentina Synodus, quæ

quem

quem ſenſum habeant hæc auguſtiſſima Chriſti verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ex verborum ſignificatione definit. Sed quia iſta Synodus exiguæ fortè apud te autoritatis eſt, mitto ejus verba adducere.

Phil. Quis tibi, Nicoſtrate, tam ſiniſtram de me ſuſpicionem injecit? E noſtris quidem ſunt aliqui, qui Sancyrani exemplo atque inſtituto Tridentinam Synodum opinantur fuiſſe inconditam Scholaſticorum multitudinem, ac proinde vix minimi momenti inſtar habere: verùm nondum auſint id palàm dicere, & ut palam dicerent, ego ab hac ipſorum ſententia liberè diſcederem. Quâ de cauſa ſi quid habeas adjumenti in Tridentina Synodo, profer liberè.

Nic. Seſſ. 13. cap. 1. de ſacroſanctis illis verbis ſic pronunciat: *Quæ verba à ſanctis Evangeliſtis commemorata, & à Divo Paulo poſtea repetita, cum* PROPRIAM ILLAM ET APERTISSIMAM SIGNIFICATIONEM PRÆ SE FERANT, *ſecundum quam à Patribus intellecta ſunt; indigniſſimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis & Sanguinis Chriſti negatur, contra univerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri: quæ tamquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut Satanica deteſtata eſt, grato ſemper & memore animo præſtantiſſimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.* Vides, Philadelphe, quomodo hæc ſacra Synodus ſenſum Chriſti & Apoſtoli definiat ex propria ſignificatione verborum, *cùm propriam illam & apertiſſimam ſignificationem præ ſe ferant?*

Phil. Video. At quid inde concludas?

Nic. Hoc concludo: ſi errare nequeat Concilium aut Romanus Pontifex ſenſum Chriſti & Apoſtoli definiens ex propria ſignificatione verborum; nihil cauſæ eſt, cur errare poſſit, dum ex eadem ſignificatione, ex eadem inſtitutione verborum ſententiam fert de ſenſu cujuſpiam S. Patris aut hæretici?

Phil. An tibi, Nicoſtrate, excidit id quod §. 3. aſſeverant noſtri Theologi Belgæ? *Poteſt*, inquiunt, *Eccleſia, quis ſit ſenſus alicujus Autoris definire... infallibiliter quidem, ſi, quis ſit ſenſus illius Autoris, in ſacris litteris vel traditione revelatum ſit; ſecus verò, ſi revelatum non ſit.* Nunc autem quis ſit Chriſti & Pauli ſenſus, in ſacris litteris & traditione revelatum eſt: ſed quis ſit ſenſus Auguſtini, Hieronymi, Arii, Calvini & aliorum non item: Igitur ingens hic eſt diſcrepantia.

Nic. Hic præcipuus eſt & ultimus Janſeniſtarum in hac materia

teria

teria Achilles. Antequam illum debellem, velim, Philadelphe, iterum recorderis ſenſum alium eſſe interiorem, exteriorem alium. Duo illi ſenſus ſeparari poſſunt in homine, utpote qui errori & mendacio obnoxius eſt: at verò in Deo, qui ſummè ſapiens eſt, ſummè verax, ſeparari numquam poſſunt. Semper interius Dei loquentis judicium cum ſigno exteriore conſentit. Atque hoc pacto dici poteſt ſenſum Chriſti dicentis, *Hoc eſt Corpus meum*, in ſacris litteris revelatum eſſe; immo ſecus dicere aut ſuſpicari, impium eſt & blaſphemum. Verùm anne propterea revelatum putas, quæ ſit verborum illorum vis, quæ inſtitutio, quæ ſignificatio?

Phil. Ita ego ſemper exiſtimavi.

Nic. An ergo Chriſtus inſtituens hoc diviniſſimum Sacramentum & coram diſcipulis proferens hæc veneranda verba: *hoc eſt corpus meum*, ſimul edixit: *τὸ corpus* ſignificat id quod eſt ex oſſibus, carne, ſanguine, venis, nervis, fibris, humoribus vario multiplicique inter ſe ordine diſpoſitis coagmentatum. Crede mihi, nihil eſt, quod dici pòſſit magis ridiculè: quamvis enim Chriſtus *τὸ corpus* ſic explicuiſſet, de illa ipſa explicatione rediiſſet quæſtio, & potuiſſet quæri, quid ſibi vellet *τὸ os*, quid *caro*, quid *ſanguis*, quid *vena*, quid *nervi*, quid reliqua. Et idem rurſus debuiſſet quæri de harum vocum explicatione, & ſic in infinitum. Quam ob rem ſatis erat Chriſto ſenſum horum verborum ab Apoſtolis intelligi ex communi & ab omnibus receptâ ſignificatione, quæ illis aliundè innotuerat.

Phil. Tantùm non, Nicoſtrate, in tuam deſcendo ſententiam. Sed eſt etiamnum aliquid, quod me retardet. Si vis & ſignificatio verborum, quibus Deus nobis in ſacris paginis loquitur, revelata non ſit, quomodo ego fide divinâ credere poſſum ſenſum iis verbis ſubjectum?

Nic. Poteſne tu fide divinâ credere Chriſtum pro te mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe? at incauto mihi elapſum eſt iſtud exemplum; ne hinc nova naſcatur diſceptatio, proponam potiùs aliud: poteſne tu, Philadelphe, divinâ fide credere, peccaſſe te in Adamo?

Phil. Quidni? nam homines omnes Adami ſcelere obſtringi revelavit Deus; ſi omnes homines, ergo etiam me.

Nic. Revelavitne Deus te eſſe hominem?

Phil. Nequaquam.

Nic.

Nic. Tamen non potes in Adamo peccaſſe, niſi ſis homo.

Phil. Ita ſe res habet. Verùm licet Deus eſſe me hominem non revelarit; hominem eſſe me ſatis compertum aliundè habeo. Atque hoc ſufficit, ut propter univerſalem Dei revelationem, quâ homines omnes primi parentis labe contaminatos eſſe dixit, fide divinâ credam me quoque eâdem illâ labe contaminatum fuiſſe. Illa aliundè hauſta ſcientia non eſt quidem objectum fidei formale, ut vocant; ſed tantùm prærequiſita conditio.

Nic. Rem acu tangis. At fare jam, quid cauſæ eſt, cur etiam fide divina credere non poſſimus aliquem ſcripturæ ſenſum, licet ſignificatio verborum, à quibus ſenſus ille pendet, aliunde nobis innoteſcat? ſignificationis iſtius notitia objectum fidei formale non eſt, ſed tantùm prærequiſita conditio. Poſſem rem hanc urgere pluribus, allatâ etiam autoritate Martini V. qui, quamquam revelatum non ſit indubitatum Pontificem E. C. Innocentium XII. eſſe hominem, eſſe virum, baptizatum, initiatum legitimè (quæ ſunt conditiones ad legitimum Pontificatum jure divino requiſitæ) tamen in Concilio Conſtantienſi imperat, ut hæretici ad Eccleſiæ gremium redituri inter alia interrogentur, *utrum credant, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ſit ſucceſſor Beati Petri, habens ſupremam poteſtatem in Eccleſia Dei.* Sed nihil opus eſt lucernam (quod aiunt) in meridie adhibere. Jam exhauſta eſt, opinor, difficultas, quæ (ut dicebas) te retardabat ab amplectenda mea ſententia.

Phil. Circumſpicio undique, num quod diſcrimen inveniam. Sed oleum & operam perdo.

Nic. Igitur rata ac fixa manet hæc poſitio: revelatum quidem eſt ſaltem implicitè; ſcripturæ ſenſum eſſe eum, quem verba in hujuſmodi adjunctis ex prima inſtitutione ſignificant: ſed quid verba in hujuſmodi adjunctis ſignificent, revelatum non eſt. Et niſi hoc admittas ſufficere, ut Eccleſia aut Pontifex ferat judicium falli neſcium de ſenſu Scripturæ Sacræ, vide obſecro, quæ conſectariorum monſtra ac portenta enaſcantur. Sequitur enim, ut quando Scriptura alio reddita eſt idiomate, quàm quo uſus eſt Canonicus ſcriptor, putà Latino, putà Italico, Hiſpanico, Gallico, Flandrico, Germanico &c. Eccleſia ejus ſenſum ſine errandi periculo aſſequi non poſſit, immo Verbum Dei eſſe deſinat. An hoc ferant teſtamenti Montenſis præcones?

Phil. Non exiſtimo.

Nic. Neque ego, Philadelphe: nam ipſos oportebit dicere aut teſtamentum illud (quod Autor difficultatum propoſitarum Eximio atque Ampliſſimo D. Steyaert vocat librum Sanctiſſimum) Verbum Dei non eſſe; aut (quo nihil fingi poteſt ſtultius) Gallicarum vocum vim & ſignificationem illis interpretibus eſſe divinitus revelatam. Vin proſequar?

Phil. Proſequere.

Nic. Cum ſignificatio Latinarum vocum, quas reperire eſt in editione vulgata, D. Hieronymo aut alii ejus autori à Deo revelata non ſit, etiam ſequitur ut Eccleſia, ne quidem quis ſit vulgatæ ſenſus, definire infallibiter queat. Hîc ego potiore jure, quàm animoſus ille pro Janſeniſmo Exul D. de Ligny, poſſem exclamare: *miſera Dei Eccleſia!* quidquid jam inde ab Hieronymi temporibus ex vulgatæ ſenſu ſtatuiſti ſive ad inſtituendos Catholicos, ſive ad hæreticos refellendos; dubium eſt, incertum eſt, & errandi periculo non vacat. Tuque, ô Tridentina Synodus, Decretum condidiſti (ne quid graviùs dicam) ineptum, dum Seſſ. 4. hoc de vulgata voluiſti ſancitum: *ſacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.*

Phil. Abſurda ſunt, fateor Nicoſtrate, minimeque admittenda tua iſta conſectaria. Ea dum conſidero, totis artubus contremiſco. Profiteor Eccleſiam in declarando ſenſu interpretis alicujus errare non poſſe, licet vis verborum, quibus utitur, revelata non ſit.

Nic. Rectè. Sed quidquamne intereſt inter Scripturæ Sacræ interpretem, & ſanctum aliquem Patrem, V. G. S. Ambroſium aut Auguſtinum, qui ſenſum eundem verbis ſuis expreſſerit & pluribus amplificarit?

Phil. Nihil prorſus.

Nic. Subſumo: atqui, quemadmodum mihi aſſentiris, poteſt Eccleſia ſine ullius errati ſuſpicione deſignare, quis ſit ſenſus Interpretis; ergo pari modo poteſt Eccleſia ſine ullius errati ſuſpicione deſignare, quis ſit, SS. Patrum, Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, aliorumque ſenſus, etiamſi non ſit revelatum divinitùs, quid

quid adhibitæ ab illis voces ſignificent. Quid in hac complexione eſt, quod infirmari poſſit?

Phil. Hæreo, ſed quid ad ſupplices Theologos viros doctiſſimos, ſapientiſſimoſque homines?

Nic. Miror, Philadelphe, tantùm nefas Catholico ore excidiſſe. Quod ſi ego Arii, ſi Neſtorii, ſi Pelagii, ſi Lutheri, ſi Calvini, aliorumve hæreticorum venenata dogmata ita enervaſſem; auderesne petere, quid ad Arium? Quid ad Neſtorium? Quid ad Pelagium? Quid ad Lutherum, alioſque hæreticos? Attamen illos hæreticos putem tuis Theologis multò doctiores fuiſſe, magiſque eruditos, & in omni ſcientiarum genere verſatos. Propter temerariam illam tuam interrogationem hæc mihi magis premenda res eſt. Ut auſcultes, hortor te illo Homeri Verſiculo:

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι.

Nunc aliud quiddam, tu mente recondito, dicam.

Si Eccleſia aut Pontifex labi poſſit in ſenſu cujuſpiam Scriptoris Catholici, ut pugnant illi Theologi; jam nullus erit Conciliorum Canon, nullum Decretum, in quo Catholicorum fides poſſit firma conſiſtere. Fluctuabit undique & vacillabit, ob ſuſpicionem erroris numquam non inquieta. Sed hæc videri poterunt fortaſſe obſcuriora, cùm ſine appoſitione exemplorum lentiùs diſputantur: quam ob rem unum alterumve afferam. Philadelphe, admittiſne Epheſinis Canonibus, quibus proffigatur Neſtoriana hæreſis, veram & orthodoxam fidem contineri?

Phil. Admitto: & malim quidvis pati, quàm autoritatem illorum verbis imminuere.

Nic. An noſti illos Canones aliud nihil eſſe, quàm anathematiſmos S. Cyrilli, quos in Alexandrina Synodo evibravit adversùs Neſtorium?

Phil. Novi; ſed Epheſina Synodus œcumenica III anathematiſmos illos ſuo approbavit calculo, totique Eccleſiæ tamquam veræ fidei Canones propoſuit, quod & fecerunt deinde Synodi aliæ.

Nic. Quid juvat tot Synodorum autoritas, ut eos credas eſſe orthodoxæ fidei inexpugnabiles Canones? nam ſi in definiendo ſcripti alicujus ſenſu errare poſſit Eccleſia, unde hîc eam non erraſſe exploratum habes? Nihil igitur in hiſce Epheſinis Canonibus certum eſt, nihil firmum, nihil quod non veniat in aliquam

quam erroris ſuſpicionem. Vide, quò redigantur tui Theologi. Et ut liberè dicam id quod ſentio, non videntur ab hoc conſectario magnoperè abhorrere: nam etſi illis Canonibus Virginem θεοτόκον ſeu Dei Genitricem eſſe definiatur; non id tamen videntur credere firmiter.

Phil. Parcius iſta viris, Nicoſtrate; nimis inſolenter inveheris.

Nic. Non temerè iſta ſuſpicor; quare non deſinam, niſi ſcripto publico oſtendant, cur abhinc annis aliquot partem Salutationis Angelicæ ultimam, quæ propter hos Canones à Cœleſtino Papa addita eſt, tam nefarium in modum induxerint. Pergamus jam, & aliorum quoque Conciliorum Canones ſcrutemur. Concilium II Arauſicanum Canones ſuos pleroſque omnes ex S. Auguſtini ſententiis & verbis contexuit.

Phil. Huic Concilio Noſtri omnes multum tribuunt, neque immeritò, quia Semipelagianorum hæreſim penitùs attrivit!

Nic. Scio, at verò ſi error poſſit cadere in Eccleſiam de ſcripti alicujus ſenſu judicantem, quid eſt unde Concilii Arauſicani Canones plus habeant firmitatis, quàm reliqua S. Auguſtini ſcripta ab Eccleſia nondum approbata? Dies nos deficiet, ſi omnium Conciliorum Canones velimus percurrere, neque iſtud neceſſe eſt; tamen quia præter conſuetudinem aliorum Janſeniſtarum Tridentinam Synodum magni facis, non poſſumus, quin ex illa etiam quidpiam delibemus. Arripiamus igitur, quod extat ſeſſ. 6. Decretum de juſtificatione.

Phil. Per me licet.

Nic. Si fortè umquam legeris Pallavicinnm, non ignoras Decretum illud eſſe à Muſſo, Seripando aliiſque concinnatum, eruditiſſimis illis quidem viris, ſed errori obnoxiis. Atque adeò antequam approbaretur à Concilio: quid iſtud Decretum erat aliud, niſi aliquot Scriptorum liber? Tridentinis Patribus liber ille prælegitur, eo contentà doctrina declaratur orthodoxa, reponitur in Decreta, ab omnibus Catholicis firmiſſimè certiſſimeque credenda. Jam verò ſi in definiendo libri hujus ſenſu falli Eccleſia potuerit, quid firmitatis huic Decreto reliquum facis? Denique nullum eſt eſt ullius Concilii Decretum, nullus Canon, quem ego non ita debilitem atque convellam. Quid jam, Philadelphe, reſpondes? Nonne Theologi tui cenſendi ſunt velle tollere controverſiarum judi-

judicem, velle inducere Syncretiſmum, velle Parermeneutarum in morem ſacros Codices arbitratu ſuo exponere, proximeque accedere ad hæreſim Clementis Scoti; qui, ut narrat Baronius ad annum Chriſti 754, rejiciebat Canones ſacros, tractatus & expoſitiones SS. Patrum, Hieronymi, Auguſtini & Gregorii, Synodaliaque jura omnia?

Phil. Nullibi, quoad ſciam, Theologi noſtri repudiant SS. Patres aut Conciliorum canones; immo haud ſcio, an ulli Theologi eorum teſtimonia adhibeant frequentiùs. Noſtrorum elucubrationes inſpice. Atque inde forte originem duxit ea, quæ apud nos invaluit, Scholaſticorum contemptio.

Nic. Janſeniani Patrum teſtimonia Conciliorumque canones adhibent frequenter, non eo inficias; atque utinam ea citarent fideliter, neque in alienos ſenſus detorquerent! ſed hac de re non rixemur jam. An ego, Philadelphe, uſpiam dixi à vobis Patres & Concilia apertè repudiari & palam? adhuc periculoſiora ſunt tempora, quàm ut iſtud palam fiat. Nota eſt Janſeniſtarum politica. Hoc autem dixi, iterumque dico, & dicam ſæpiùs talia à ſupplicibus Theologis ſuſtineri dogmata, ex quibus tam execranda conſectaria ſuâ ſponte emanent. Quapropter in illos convenit illud Auguſtini de adulterinis conjugiis lib. 2. *muta antecedentia, ſi vis cavere ſequentia.* Canant ergo Supplices illi palinodiam, edicant palam Eccleſiam aut Pontificem nullum poſſe admittere errorem in definiendo, quis ſit ſenſus Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, Chryſoſtomi, &c. Atque ecce ad hujuſce rei fidem faciendam in mentem mihi venit argumenti novi.

Phil. Quodnam illud eſt? audiamus, forte jam jam mutabo ſententiam.

Nic. Hàc ſpe illud ob oculos ponam quàm poſſum clariſſimè. In ſupplicatione §. 3. ut antè vidimus dicitur: *Poteſt Eccleſia*, (dicamus nos, *etiam poteſt ſolus Pontifex*) *quis ſit ſenſus alicujus Autoris definire ... infallibiliter, ſi, quis ſit ſenſus illius Autoris, in ſacris litteris vel traditione revelatum ſit.*

Phil. Ita eſt.

Nic. Eccleſia vel Pontifex, quis ſit ille ſenſus in ſacris litteris vel traditione revelatus, definire non poteſt, niſi verba adhibeat, & condat decretum aliquod aliquemve canonem.

Phil. Et illud verum eſt.

Nic. Poteſtne Eccleſia aut Pontifex ſubjectum ſuis ipſius verbis ſenſum ita percipere, ut abſit omne errandi diſcrimen? utrumvis dixeris, captus es. Si ſuum ſenſum ita non poteſt percipere; jam nullo decreto, nullo canone, conſtitutione nullâ me poterit obligare ad revelatum in ſcriptura aut traditione ſenſum firmâ fide credendum: quo enim pacto me ad id obliget is, qui, an revelatus ſenſus ſubſit decreti ſui verbis, certò percipere ipſe non poſſit? ſi autem poteſt, cur eodem modo non poteſt percipere, an revelatus ſenſus ſubſit SS. Patrum, aliorumque Autorum voluminibus? An forte voces aliam habent vim dum à Pontifice aut Eccleſia; aliam dum à ſcriptoribus aliis proferuntur? Hoc affirmanti ego helleborum propino.

Phil. Nemo ita hebes eſt, Nicoſtrate, ut iſtud affirmet. Sed tamen aliud eſt de propoſitione paucisſimis circumſcriptâ verbis ſententiam ferre, aliud de volumine ſeu libro integro. In libro E. C. Janſenii ſunt tot circuitiones verborum, tot orationis flexus, tot anfractus. Unde fit, ut ejus ſenſus peritisſimum quemque facillimè effugiat. Itaque etiamſi admittam poſſe à Romano Pontifice ſententiam ferri nulli errori obnoxiam de ſenſu propoſitionis; tamen idem de ſenſu libri integri admittere non cogar.

Nic. Cogeris enimverò. Anne Pontificiæ coſtitutiones omnes paucis circumſcribuntur verbis? Anne Auguſtiniani loci, unde deprompti ſunt Arauſicani canones? anne Musſi & Seripandi de juſtificatione decretum, & multa id genus alia? ſi mihi fidem non habes, Conſtitutiones & Synodos adi tu ipſe, & fideles oculos in conſilium adhibe. Quamquam quid hæc ego tam multis? breviùs ſic res tota confici poterat: dum Eccleſia aut Pontifex judicat de ſenſu alicujus propoſitionis, non eſt ullum erratum metuendum; ergo etiam dum judicat de ſenſu libri integri. Quid enim liber aliud eſt, quàm plurium propoſitionum aptè inter ſe cohærentium coagmentatio?

Phil. Satis acutè. Has rationes ego mecum ipſe expendam domi: non enim hodie poſſum audire te diutiùs.

Nic. Illas expende accuratiſſimè, ſed animo libero. Quare omnem privatam affectionem erga alterutram partem ſeclude, & Spiritûs Sancti opem implora.

CON-

CONTENTIO VII.

Janſeniſtæ pleriſque omnes convincuntur perjurii.

PHIL. Heri, Nicoſtrate, rationes attuliſti non leves. Quo magis eas conſidero, eo clariùs perſpicio futile eſſe ſupplicum Theologorum effugium.

NIC. Tuæ mentis tenebras ſenſim diſpelli gaudeo.

PHIL. Tamen ſenſum Janſenii ejurare adhuc pertimeſco. Quod ſat eſt, ejuro 5. propoſitiones famoſas; eaſque jure optimo & ſine ullo erroris periculo à Pontifice hæreticas condemnatas eſſe profiteor.

NIC. Antiqua illa Janſenianorum cantio eſt, ſed non ſatisfacit. Occinuit illam jam pridem uſque ad ravim P. Magiſter ſeu D. Henricus de Swaen. Amplius aliquid ab illo Janſenii Myſtagogo impetrare non potuerunt R. P. Iſaacus de Bruyn & Didacus de Oropega ambo formidanda Janſeniſtis nomina. Verùm, Philadelphe, dum id ipſum cum P. Magiſtro profiteris, nonne ſentis te mihi ſubminiſtrare arma, quibus te denuò aggrediar? Pontifex 5. famoſas propoſitiones ſine periculo errandi damnare non potuit, ſi (ut vos contenditis) poſsit errare in ſenſu Autorum aſſequendo.

PHIL. Dictum audax! ſi hoc ita eſſe oſtenderis, fidem do futurum, ut, frendente Eximio D. Henrico, propoſitiones 5. ejurem in ſenſu Janſenii.

NIC. Mihi animos addis. Attende igitur propoſitionem 4. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſsitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* 5. Quoque attende diligenter: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.* Attende, inquam, & perluſtra ſingula. Quid tibi videtur? Nonne in hiſce propoſitionibus quæritur, quis Semipelagianorum ſenſus ſit, quæve doctrina? Da gloriam Deo.

PHIL. Profectò ita eſt, ut tu dicis: quæritur enim primò, an gratiæ neceſſitatem admiſerint Semipelagiani etiam ad initium fidei: deinde an docuerint gratiæ iſti poſſe reſiſti. Tertiò an ob hanc doctrinam fuerint hæretici: poſtremò an ſuſtinuerint Chriſtum pro omnibus vitam fudiſſe, & an ideo hæretici fuerint. NIC.

Nɪᴄ. Optimè. Et niſi id mihi tam promptè fuiſſes aſſenſus, ſtatim tibi inter Janſeniſtas alios oppoſuiſſem Palladium, qui in ſpongia notarum pag. 19. agens de 4. Janſenii hæc habet: *An revera Semipelagiani gratiam internam ad initium fidei & ad perſeverantiam admiſerint, hiſtorica quæſtio eſt ſatis obſcura.* Sed meliùs tu tibi conſuluiſti.

Pʜɪʟ. An ergo ex eo aliquid habes ad me impugnandum adjumenti?

Nɪᴄ. Et multum quidem: nam pace tuâ, Philadelphe, ego ſic aſſumpſerim: atqui Pontifex 5 famoſas damnare non potuit, niſi iſtas quæſtiones ſolveret: ergo Pontifex, dum damnavit 5 famoſas, ſolvit quæſtiones, quibus de Semipelagianorum ſenſu & doctrina quærebatur. Nunc verò quoniam 5 famoſas jure & ſine ullo errati periculo damnatas eſſe agnoſcitis, etiam agnoſcere debetis illas de Semipelagianorum ſenſu quæſtiones jure & ſine ullius erroris periculo à Pontifice ſolutas eſſe, quod quî fieri potuit, ſi Pontifex in aſſequendo Autorum ſenſu labi queat? Facile erit idem probare ex Baii articulis à Pio V. & Gregorio XIII proſcriptis V.G. ex 22. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos 2.* "Gentes quæ „legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt" *Intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.* Item ex 28. *Pelagianus eſt error, dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*, & pluribus aliis in eadem conſtitutione enumeratis. Jam conticeſcis; agedum, reſponde aliquid. An fortè de Semipelagianorum ſenſu quæſtio juris eſt, de ſenſu autem Janſenii facti quæſtio eſt? Ridiculum. Nihil igitur reſtat, niſi ut, quemadmodum ſpopondiſti, ſenſum Janſenii ejures. Hoc unum ego te rogo.

Pʜɪʟ. Ah Nicoſtrate, colloquamur potiùs de rebus aliis. Nihilne novi habes ex Hungaria?

Nɪᴄ. Siccine moliris fallere datam fidem? Age, dic anathema Janſeniano ſenſui.

Pʜɪʟ. Hoc ego tibi ſanctè affirmo, Nicoſtrate; mihi religio eſt iſtud facere.

Nɪᴄ. Dignus eſt Catholicorum omnium odio cum iſtac tua Janſeniana religione. Nodum in ſcirpo quæris.

Pʜɪʟ. Dici non poteſt, quàm ego hic timeam periculum pejerandi.

Nɪᴄ. Si tam religioſus ſis, Philadelphe, cur non timebas pejerandi periculum, quando iſtas dixiſti à Pontifice optimè damnatas

eſſe

eſſe tamquam hæreticas, tamquam ab omni ὀρθοδοξίᾳ maximè alienas? Ego quidem, ſi Janſeniſtarum ſequerer de Eccleſia aut Pontifice ſententiam, id facere omnino non auderem: etenim ſicubi poſſit Pontifex vel Eccleſia à ſenſu autorum aberrare, de iſtarum propoſitionum hæreſi (uti antè oſtendi) certò conſtare non poteſt. Atqui, ut jure merito dicunt ſupplices Theologi, *jurare non licet id, de cujus veritate certò non conſtat.* Ergo. Capis, quid velim?

PHIL. Quid Nicoſtrate? Tu me perjurii reum agis?

NIC. Neque te tantùm, ſed reliquos Janſenianos omnes præter D. Ægidium de Witte, qui in Lovanienſi Academia ſtudioſus pro ſingulari erga Patriarcham ſuum Janſenium reverentia detrectavit ſe ſoliti jurisjurandi religione obſtringere. Quâ de cauſa mirificè placuit Arnaldo, eique fuit neceſſitudine conturbernii aliquamdiu conjunctus.

PHIL. Liberiùs loqueris, quàm par eſt; neque puto Athenienſem illum Democharem fuiſſe talem παῤῥησιαςὴν. O ſi hîc adeſſet Præſes noſter, quàm citò effrænem tuam & impudentem linguam reprimeret!

NIC. Si hic adeſſet, multò plura proferrem, multoque graviora. Alio etiam ex capite perjurii convincerem Janſeniſtas fermè omnes, qui *dogmatibus fidem, reverentiam factis*, interpoſito jurejurando promiſêre. Nam ut de dogmatibus nihil dicam, quotuſquiſque ex illis juratam factis reverentiam exhibet?

PHIL. Nullus ſuo hîc defuit officio, ſaltem uſque adhuc.

NIC. An nullus eſt, qui Janſeniſmum ait eſſe ſpectrum inane, & phantaſma in ſolo Jeſuitarum cerebro exiſtens? Qui 5 Propoſitiones negat in Janſenii libro contineri? Qui dicit Pontifices in condemnando Janſenio fuiſſe deceptos per factionem Molinianam? Qui dicit Alexandrum VII in edenda ſua conſtitutione per negligentiam aures magis, quàm oculos conſuluiſſe? Qui dicit Romanam Curiam contra Janſenium mirum in modum fuiſſe præoccupatam? Qui dicit eas propoſitiones in ſenſu Janſenii eſſe Catholicas, maximeque orthodoxas? Eſſe ipſiſſimam S. Auguſtini doctrinam? Eſſe doctrinam totius Eccleſiæ & S. Sedis? Doctrinam Janſenii numquam condemnatam fuiſſe, è contrario approbatam in Concilio Tridentino, aliaque hujuſmodi, imò graviora?

PHIL. Sunt plurimi, qui ex iſtis ſaltem aliqua dicunt, nominatim Arnaldus, Huygenius, Lucas Veronenſis, De S. Victor, Man-

ſeau, G. Prior S. Martini, Opſtraete, Fr. Eugenius, Autor notarum in epiſtolam Eximii atque ampliſſimi D. Steyartii & plures alii. Eorum libros pervolvi.

Nic. Ego non tantùm libros ubi iſta dicunt, ſed caput etiam & paginam aſsignabo, ſi libuerit. Sed quare prætermiſiſti D. de Ligny? Tamen hic videtur ceteris palmam præripuiſſe: *Credo*, inquit, *numquam documenta dediſſe Pontificem majora, falli ſe poſſe, quàm dum 5 propoſitiones in ſenſu Janſenii proſcripſit. Je crois que nul Pape n'a jamais donné de plus evidentes marques de ſa fallibilité, que dans la condamnation de ces cinq Propoſitions dans le ſens de Janſenius.*

Phil. Non poteram omnes enumerare, neque tu ipſe poteris. Tanta eſt eorum qui iſta ſuſtinent, multitudo. Sed quorſum iſta vergunt? Quid inde conficis?

Nic. Quid? an qui iſta dicunt, videntur tibi juratam reverentiam factis exhibere? quid tandem erit facta ridere & explodere, ſi hoc non eſt? idcirco, ſi non moleſtè feras, ego ſic argumentor: omnes, qui juratam factis reverentiam non præſtant, perjuri ſunt: atqui qui iſta dicunt, juratam factis reverentiam non præſtant: ergo qui iſta dicunt, perjuri ſunt. Si Præſes veſter hic adeſſet, quid, obſecro, huic argumentationi reponeret? An non admittere cogeretur maximam partem Janſeniſtarum, qui factis reverentiam exhibituros ſe jurarunt, datam fidem violaſſe, atque adeò verum eſſe quod habet Autor librorum ad Herennium: *qui mentiri ſolet, peierare conſuevit?* Et tamen (prô pudor!) illi homines tot nominibus perjuri, quòd non ſubſcribant Alexandrinæ formulæ, pejerandi periculum cauſantur, juxta illud Chriſti Matth. 23. *excolantes culicem, camelum autem glutientes.* En fucata Janſeniſtarum ſanctitas, en hypocriſis plus quàm phariſaica. Philadelphe, miſeret me tui, quòd à talibus hominibus decipi te ſinas. Age jam tandem illos deſere, & dic anathema Janſeniano ſenſui.

Phil. O Nicoſtrate, quò me vertam, neſcio: injectus à ſupplicantibus ſcrupulus adhuc animum ſtimulat ac pungit; evellere eum non poſſum.

Nic. Habe tibi hunc Syllogiſmum: licitum eſt juramento affirmare id, de cujus veritate certò conſtat: atqui de veritate facti Janſeniani, ut vos loquimini, certò conſtat: ergo licitum eſt factum Janſenianum juramento affirmare. Quod ſi ego te, Philadelphe, hîc tacitè vellem ignorantiæ redarguere; propoſitionem hanc

hanc demonſtrarem pluribus ; proferrem S. Scripturæ autoritates, Patrum teſtimonia, exempla ſanctiſſimorum hominum, non prætermitterem communem nationum omnium tribunaliumque conſuetudinem ; dicerem quoque Maſſelianos, Pelagianos, Waldenſes, Anabaptiſtas, Wicleffum, quia id negabant licitum, habitos eſſe hæreticos. Sed quia plus tibi reverentiæ volo exhibere, quàm ſupplices Theologi exhibuerunt Illuſtriſſimis atque Reverendiſſimis Epiſcopis, illa prætereo conſultò ; ſunt illa tibi aliunde non incognita.

Phil. Profectò ſi figuram talem adhibuiſſent noſtri Theologi, minùs offendiſſent.

Nic. Miſſos faciamus tuos Theologos, & revertamur ad propoſitum ſyllogiſmum. De ejus aſſumptione certè dubitari non poteſt : quàm enim vera ſit, putem jam à me ſatis ſuperque demonſtratum. Complexio autem eſt legitima & ad normam dialectices exacta. Quapropter tu Philadelphe, aut oſtende in ſyllogiſmo vitium, aut Janſenii ſenſum ejura.

Phil. Non ejurabo : quid enim dicet Præſes noſter ?

Nic. Quid tibi cum illo homine ? an non eſt obtemperandum potiùs Catholicis Epiſcopis, quàm Janſeniano Præſidi ?

Phil. Illud Sacramentum non diu exigent Epiſcopi, uti ego quidem opinor. Hodie audivi Præſidem noſtrum muſſitantem aliquid. Varias accepit litteras, quibus lectis vix ſe capiebat præ gaudio. Expiſcabor aliquid ſuper menſam. Si inhibeatur juramentum, te certiorem faciam primo quoque tempore.

CONTENTIO VIII.

An, ſi Pontifex permitteret non jurari in præſcriptam formulam, ſequeretur illicitum eſſe tale juramentum dicere ; & an novitas ſit illud exigere.

Phil. Salva res eſt, Nicoſtrate ; triumphat Janſeniana religio. Importunum illud ſacramentum non exigent poſthac Epiſcopi ; audio enim jam nunc *Româ reſcripta veniſſe, cauſa finita eſt.* Mechliniæ ad valvas palatii Archiepiſcopi à nobis affixum eſt programma, quo omnes invitantur ad formulæ exequias.

Nic.

Nic. Si Româ reſcripta veniſſent vobis contraria, an etiam cauſa finita eſſet? non ita loqueretur Janſeniana factio, facilè mentiretur Curiam Romanam adverſariorum artibus fuiſſe corruptam, Cardinales nihil intelligere, erraſſe Pontificem, cœco & præcipiti impetu ſtatuiſſe aliquid parte inauditâ alterâ, injuſtum eſſe decretum, ei non obſequendum niſi accedat, ut vocant, Placetum Regium, denique mille tergiverſandi cauſas inveniret efferata Veſtrorum hominum in ſacram Sedem contumacia. At cedo, unde habes Româ reſcripta veniſſe? ego certè nihil inaudivi hactenus, ſaltem à viro fide digno.

Phil. Ego audivi ex noſtro Præſide. An non ille fide dignus eſt?

Nic. Janſeniſta eſt. Sed fingamus Janſeniſtam hîc verum dicere. Quid ſancitur in iſtis reſcriptis?

Phil. Ut Epiſcopi deſinant jusjurandum illud tam ſeverè exigere.

Nic. Eſto: ân inde concludas in Alexandrinam formulam jurari ſine periculo perjurii non poſſe?

Phil. Minimè verò. Nec enim tam leviter imbutus ſum dialecticâ.

Nic. Quid ergo?

Phil. Pontificem Romanum ſolitâ noſtrâ jurandi formulâ contentum eſſe.

Nic. Habet. Ergo, ut Eximius P. ac Magiſter Lambertus le Drou nuper in Hallis optimè reſpondit Patri Magiſtro ſeu D. Henrico de Swaen, adhuc debitores eſtis.

Phil. Quin igitur Pontifex permittit debitum illud ſeverè exigi?

Nic. Dicam. Quando creditores à debitoribus iniquis malè ſibi aut ſuis metuunt, non ſolent debitum omne tam ſeverè exigere, ſæpè connivent, & magnas patiuntur fieri de ſumma deceſſiones. Ita etiam Romani Pontifices ob præpotentes factiones non rarò de ſuo jure decedunt grandius malum veriti. Et Eccleſia mater eſt benigna, filiis etiam rebellibus aliquid interdum indulget, maximà illorum ſcelera ac flagitia diſſimulat, quo meliùs poſtea reſipiſcant. Teſtem appello Græciam, cui quid permiſerit Roma ad avertendum ſchiſma, quis ignorat? Et quamvis maximè velint Pontifices procedere ſecundùm Canonum rigorem; tamen interdum

dum tutò non poſſunt, quod Eximius idem Pater ac Magiſter le Drou narrabat contigiſſe Gregorio Papæ, qui ideò vehementer ingemiſcens uſurpabat illud Pſalmi 128. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores.* Atque utinam ſupra dorſum Innocentii XII. cui Deus ad Eccleſiæ ſuæ incolumitatem largiatur annos Petri, non fabricent peccatores ſeu *filii iniquitatis!*

Phil. Pontifices ſæpè connivere dicis ob metum gravioris mali Eccleſiæ impendentis; à nobis autem quod malum timeri poteſt?

Nic. Rogas? horrendum ſchiſma, & tale, quale nullus umquam Photius induxit. Crebrò quidem dixiſſe fertur Sancyranus Abbas, ad nocendum Eccleſiæ eſſe nihil utilius, quàm numquam ſeſe ab Eccleſia apertè ſejungere, quod à Calvino habente tam bonam cauſam (ſic enim loquebatur Sancyranus) factum eſſe deflebat. Attamen ſi Pontifex vos exagitaret vehementiùs, fortè aliqui è veſtris non poſſent effrænes animi impetus ſatis reprimere, ſeſe ab Eccleſia ſegregarent, & ille igniculus jam doloſo cinere ſuppoſitus citò erumperet in apertas flammas, totumque Belgium depaſceret. Nonne hoc ingens eſt malum, quod Pontifex à vobis metuat?

Phil. An non igitur habet ſuſpenſionum & excommunicationum fulmina, quibus nos in officio contineat, & tantum malum avertat?

Nic. Vos Vaticana fulmina curatis, ſcilicet. D. de Ligny ait ſe ſine ullo prorſus ſcrupulo librum Janſenii pervolvere, & vocat ſcrupuloſos qui idem non audent. Hoc quî fieri poteſt, Philadelphe, ſi eum Romana ſolicitent fulmina? D. Malpaix dicit Vaticanum fulmen, quo Alexander VIII. 31 propoſitiones icit, alliſum ad Alpes vim omnem amiſiſſe. Summus Janſeniſtarum Princeps & P. Jubilarius Arnaldus, ſiquidem (ut dicitur) Autor eſt libelli ſuprà citati, cui titulus *Lettre d'un Abbé à un Prelat de la Cour de Rome*, &c. pag. 30. affirmat Romanos magis abundare ingenio, quàm ut ipſi credant vos minis excommunicationis etiam Pontifici reſervatæ terreri. Dein ibidem ità proſequitur: *Ils ſçavent bien qu'il y a long têms que nous ſommes aguerris contre les foudres de l'inquiſition. Probè nôrunt nos jam dudum adverſus Inquiſitionis fulmina ſtare impavidos.* Nonne illi videntur approbare Wicleffi articulum 30 in Concilio Conſtantienſi damnatum: *Excommunicatio Papæ vel cujuſcumque Prælati non timenda, quia eſt cenſura Antichriſti?* Sed quid mirum eſt, hominibus illis, qui jam tot antiquatas hæreſes revocarunt ab inferis, hunc etiam articulum non diſplicere.

Phil. Ne quid nimis, Nicoſtrate, nimiùm dicax es & effusè petulans.

Nic. Verax tamen. Quæ dixi, ea enerva, ſi potes. Sed non poteris, ſat ſcio. Neque verò neceſſe erat Arnaldi aliorumque meminiſſe: nam Pontificias cenſuras à vobis omnibus parvi pendi, ſatis colligi poteſt ex veſtra in propugnando Janſenio pertinacia.

Phil. E contrario clariſſimè perſpicitur in ſupplicatione nos cenſuris Eccleſiaſticis terreri: ſic enim noſtri Theologi in præfatione alloquuntur Illuſtriſſimos Præſules: *Terrent nos mala ingentia, quæ per annos plures Eccleſiam Gallicanam divexarunt, ſtudia partium, diſſidia, contentiones, criminationes adversùs ipſos Epiſcopos inſtituta, ſuſpenſiones, excommunicationum minæ, & his graviora: quæ omnia timemus in Belgium noſtrum irruptura, ſi (quæ malorum cauſa fuit) juramentum iſtud exigatur.*

Nic. An fungum me putas, ut iſta objicias? Quid, quæſo, illis verbis inſinuant aliud, immò quid minantur, quàm ſe exactum ſacramentum non dicturos, licet id ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis præciperetur? Etenim ſi parati ſint tamquam obedientes filii ſeſe ſubmittere judicio Pontificis, ejuſque mandata exequi, cur metuunt, ne omnia iſta mala in Belgium irrumpant? Nihil itaque habet Pontifex, quo vos ad dicendum Janſenio anathema tutò adigat. Grandius aliquod malum à veſtra nefaria factione Eccleſiæ metuit; ideò tantiſper fortè diſſimulat, & dolorem premit cum Gregorio ſæpè repetens ſecum illa verba: *ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores:* FILII INIQUITATIS *prolongaverunt iniquitatem ſuam.*

Phil. Quàm patheticè, extenſo dorſo, verba illa pronunciabat Eximius P. Le Drou!

Nic. Pulcerrimè profectò, & maximè ad motum. Sed multò magis patheticè ea pronunciaſſet, ſi à Janſeniſtarum aliquo edoctus fuiſſet altùm gemere, udis cœlum aſpicere oculis, manus complicare, decuſſare brachia, vultum induere triſtem, lacrymabilem & talem denique, qualem Janſeniſtæ induunt, dum in publicum procedunt. Quæ dixi hactenus, Philadelphe, tantùm in tua hypotheſi dicta ſunto: non enim credo ſimilia reſcripta Româ veniſſe.

Phil. Omnis novitas ſolet Romæ maximè diſplicere.

Nic. Sic eſt. Propterea Romæ diſplicent veſtra dogmata.

Phil. Ergo diſplicet etiam formula : quid enim magis novum eſt ? quid magis ante hæc tempora inauditum , quàm doctrinam aliquam in ſenſu ab Autore intento execrari ?

Nic. O Philadelphe ! ſi non eſſes tam peregrinus & hoſpes in Annalium vetuſtate, & Pontificum Conciliorumque monumentis, non iſta affirmares. Longum eſt commemorare omnia, quæ in hanc rem faciunt : quare ſummatim tantùm aliqua attingam. Concilium Conſtantienſe inſpice. Ibi ſeſſ. 21. Invenias Hieronymum de Praga declaratum hæreticum & anathematis fulmine percuſſum, ideò quoque, quòd *aſſereret ſe in libris Joannis VVicleff & Joannis Husz, nullam unquam hæreſim vel errorem legiſſe.* Martinus V. in Conſtitutione *inter cunctas* à Concilio Conſtantienſi approbatâ malæ fidei ſuſpectum jubet interrogari, *utrùm credat, teneat, aſſerat, Joannem VVicleff de Anglia, Joannem Husz de Bohemia, & Hieronymum de Praga fuiſſe hæreticos . . . . . & LIBROS AC DOCTRINAS eorum fuiſſe & eſſe perverſos.* Eugenius IV. in Conſtitutione *Moyſes* approbata à Concilo Florentino ſic loquitur : *ipſas propoſitiones ſuperiùs deſcriptas* IUXTA PRAVUM BASILEENSIUM INTELLECTUM, *quem facta demonſtrant, velut SS. Scripturis, & SS. Patribus, & ipſius Conſtantienſis Concilii* SENSUI *contrarium, tamquam impias, & ſcandaloſas . . . . ipſo ſacro approbante Concilio damnamus, & reprobamus.* Nicæna Synodus I. Nicomedienſem Euſebium & Theognidem Nicænum, quod nollent anathema dicere Ario, habuit hæreticos, ſuiſque ſedibus dejectos juſſit ſolum vertere. Tamen hi non ſecus atque jam faciunt Janſeniſtæ, Damnatos in S. Synodo errores rejecerant, fideique confeſſioni ſubſcribere non dubitarant. In Calchedonenſi Concilio juſſi ſunt Neſtorio & Eutychi dicere anathema Sophronius & Joannes, Hic Epiſcopus Germaniciæ, ille Conſtantiæ, ſive ut habent codices Græci, Conſtantianæ. In eodem Concilio anathema dicere ſoli Eutychi juſſus eſt Amphilochius Epiſcopus Sidæ; Theodoretus verò Neſtorio. Cumque id facere Theodoretus cunctaretur, clamaverunt Patres: *Iſte hæreticus eſt, iſte Neſtorianus eſt. Hæreticum foras mitte.* Uſque adeò non eſt novum exigere, ut hæreſes in ſenſu Autorum ejurentur.

Phil. Theodoretus non ejuraverat fortè damnatos errores, quemadmodum nos 5 propoſitiones ejuramus in omni ſenſu hæretico.

Nic. Ejuraverat enimverò, ut patet ex actione VIII. Calchedonenſis Concilii. Volupe eſt illam actionem legere. Abhinc dies aliquot totam deſcripſi, & penes me habeo ; ſi lubet eam tibi prælegam.

legam. Nihil eſt, quod poſſit aptiùs ætatis noſtræ hiſtoriam repræſentare.

Phil. Audiamus, obſecro.

Nic. ,,*Reſidentibus omnibus ante cancellos ſanctiſſimi Altaris, reverendiſſimi ,,Epiſcopi clamaverunt* : Theodoretus modò anathematizet Neſtorium.

Theodoretus reverendiſsimus Epiſcopus tranſiens in medium dixit : preces ob-,,tuli diviniſſimo & piiſſimo Imperatori, & libellos obtuli reve-,,rendiſsimis Epiſcopis agentibus locum reverendiſsimi Archiepiſ-,,copi Leonis: & ſi vobis videtur, legantur coram vobis, ut ſi-,,cut ſapio, cognoſcatis.

Reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt : " Nihil relegi volumus : modò ,,anathematiza Neſtorium.

Theodoretus reverendiſsimus Epiſcopus dixit : Ego per Dei gratiam ab or-,,thodoxis ſum nutritus, & orthodoxè ſum edoctus, & orthodo-,,xè prædicavi : & non ſolùm Neſtorium & Eutychen, ſed & ,,omnem hominem qui rectè non ſapit averſor & alienum exi-,,ſtimo.

,,*Et dum diceret hæc, reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt*: Clarè dic, anathema ,,Neſtorio, & dogmatibus ejus : anathema Neſtorio, & amantibus ,,eum.

,,*Theodoretus reverendiſsimus Epiſcopus dixit*: Verè non dico niſi quo mo-,,do, novi Deo placere. Priùs ſatisfacio vobis, quia neque de ci-,,vitate cogito, neque honore opus habeo, neque ob hoc adveni: ,,ſed quia calumniam paſſus ſum, veni ſatisfacere me eſſe ortho-,,doxum (& omnem hæreticum qui converti noluerit, anathema-,,tizo.) Et quia Neſtorium & Eutychen & omnem hominem di-,,centem vel opinantem duos filios, anathematizo.

,,*Et cum diceret, reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt* : Dic aperte anathema Neſtorio & qui ea quæ ejus ſunt, ſapiunt.

,,*Theodoretus reverendiſsimus Epiſcopus dixit*: Ego niſi expoſuero quomo-,,do credo, non dico. Credo autem:

,,*Et cum diceret, reverendiſsimi Epiſcopi clamaverunt* : Iſte hæreticus eſt, ,,iſte Neſtorianus eſt. Hæreticum foras mitte.

,,*Theodoretus Reverendiſſimus Epiſcopus dixit* : anathema Neſtorio, & ei ,,qui non dicit Dei Genitricem Virginem Mariam, & qui in ,,duos filios partitur unum Filium unigenitum.

,,*Glorioſiſsimi Judices dixerunt* : Omnis jam dubitatio de Theodoreto ,,reverendiſſimo Epiſcopo eſt ſoluta ; quippe & Neſtorium coram

,,nobis

„nobis anathematizavit ...... Theodoretus dignus eſt Sede Ec-
„cleſiæ. Orthodoxum Eccleſia Paſtorem recipiat : orthodoxum
„Doctorem Eccleſia recipiat. Theodoretus dignus eſt Sede. ......
„Populus recipiat dignum Sede ſuâ. Theodoreto Catholico Do-
„ctori reddatur Eccleſia.

Quid jam ais ? Hæc dum audis, nonne videris audire D. Arnaldum, D. Huygens, D. Hennebel, D. Swaen, de Witte, Cuypers, Melis, & Janſeniſtas alios detrectantes dicere anathema Janſeniano ſenſui.

Phil. Theodoretus non jubebatur confeſſioni ſuæ propriâ manu ſubſcribere, quod tamen à nobis exegit Illuſtriſſimus Mechlinienſium Archiepiſcopus.

Nic. Sic eſt. Sed mihi crede, nihil poterat à vobis exigere prudentiùs, nihil ad Janſenii hæreſim extinguendam magis accommodatum. Quippe cum ita mendaciis & perjuriis aſſueti ſitis fortè ignobiliores Janſeniſtæ ad accipiendum aliquod beneficium facilè induci poſſent ad dicendum illud ſacramentum, & poſteà redirent ad ſenſum Janſenianum, tamquam canes ad vomitum.

Phil. Si nos tam nefarios homines tamque ſceleratos eſſe exiſtimes, quid juvat confeſſioni illi propriâ manu ſubſcribere ? An non poſſumus etiam ſcripto pejerare ?

Nic. Poteſtis quidem, ſed non audetis tam facilè : etenim ſtatim ſubit timere, ne, ſi redeatis ad ſenſum Janſenii, Archiepiſcopus Syngrapham veſtram proferat, & vos perjurii manifeſtè convincat, omnibuſque beneficiis aut muniis Eccleſiaſticis exuat. Hoc tam ſervili metu coërcendi ſunt magnifici illi caritatis Buccinatores.

Phil. Saltem hujuſmodi Syngrapham exigere, novum eſt & inauditum.

Nic. Nequaquam. Et hujuſce rei habemus in antiquitate exemplum : id enim à Pelagianis & Cæleſtianis exegit Leo Papa, ut conſtat ex ejus Epiſtola 86. ad Nicætam Aquileienſem Epiſcopum : *Omnes*, inquit, *ſive Presbyteri, ſive Diaconi, ſive cujuſcunque ordinis Clerici, qui de Pelagianorum Cæleſtianorumque conſortio in Communionem Catholicam eâ imprudentiâ ſunt recepti, ut non priùs ad damnationem ſui coarctentur erroris, nunc ſaltem, poſteaque hypocriſis eorum ex quadam parte detegitur, ad veram correctionem .... cogantur. Damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris Autores, & quidquid in doctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit, deteſtentur ;*

O *omnia-*

omniaque Decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmavit autoritas amplecti ſe, & in omnibus approbare, plenis ac apertis ac PROPRIA MANU SUBSCRIPTIS PROTESTATIONIBUS ELOQUANTUR. *Nihil in verbis eorum obſcurum, nihil inveniatur ambiguum: quoniam novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, ut in quacumque particula dogmatis exécrandi, quâ ſe à damnatorum Societate diſcreverint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment non eſſe ſalvum.* Advertiſti ad illa verba: PROPRIA MANU SUBSCRIPTIS?

PHIL. Adverti.

NIC. An aliquid amplius à Janſeniana factione exigit Archiepiſcopus? An non tanti Pontificis premit veſtigia? Deſinant ergo Novatores tam vigili Paſtori & tam antiqua ſectanti novitatem objicere. Sed is hæreticorum mos eſt; optimum quemque, quem ſuæ impietati adverſantem ſentiunt, novitatis poſtulant, accuſant hæreſeos, infamibus proſcindunt libellis & atrociſsimis vexant calumniis. Unde D. Hieronymus in Amos cap. 2. in hæreticos accommodat illud Davidis: *Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.* Vin plura proferam, & exemplis quoque confirmem?

PHIL. Longiores moras non patior: domum vocor.

NIC. Priùs Theodoretum ſequere, & dic 5 propoſitionibus anathema in ſenſu Janſenii.

PHIL. Ah Nicoſtrate, ſine me mihi; jam enim dixi ſæpiùs, non poſſum.

NIC. Poſſe te oſtendi, macte animis, Philadelphe; dic anathema Janſeniano ſenſui.

PHIL. Anathema Janſeniano ſenſui, ſi quid non orthodoxum contineat.

NIC. Neque iſtud ſat eſt. Saltem aliquibus è veſtris res perfacilis eſt Janſenianum ſenſum ejurare hypotheticè. Sed non ideò habendi ſunt Catholici, licet millies clamitent: *Nomen meum Chriſtianus eſt, cognomen Catholicus.*

PHIL. Attamen Eximii Viri ac Magiſtri noſtri longè aliter judicant.

NIC. An ergo Eximii Viri ac Magiſtri veſtri judicant Lutherum fuiſſe Catholicum?

PHIL. Nequaquam.

NIC. Tamen talis ac tantus Hæreſiarcha, quidquid docuit, damnavit hypotheticè. Etenim cum Legatus Pontificius Thomas de

Vio

Vio Cajetanus urgeret hominem, ut errores ſuos ejuraret, nihil promptius habuit Lutherus, quàm ut coram Cardinale & quatuor Proceribus proteſtationem hanc ſcripto recitaret: *Ego... Martinus Luther proteſtor me colere, & ſequi Sanctam Romanam Eccleſiam in omnibus meis dictis, & factis præſentibus; præteritis, & futuris. Quod* SI QUID CONTRA VEL ALITER DICTUM FUIT, VEL FUERIT, *pro non dicto haberi & habere volo.* Nihil amplius exprimere potuit Cardinalis, quamvis omnem lapidem moveret. Uſque adeò Hæreticis cautio eſt, ne ſuos errores execrentur abſolutè & nullâ factâ hypotheſi. Eapropter ſi tu Philadelphe, omnem de te ſuſpicionem hæreſeos ex animis hominum evulſam velis, abſolutè ſenſum Janſenii ejura, nullam hypotheſim appone.

PHIL. Moleſtus es, abeo.

NIC Non ſic abibis. Age, quod ſi jam viveret, ageret ipſe Janſenius, ut colligere eſt ex ea Epiſtola, quam ſcripſit πρὸς τὸν οἰκουμενικὸν, ſic enim ibi loquitur: *Quidquid in hoc perplexo diſputationum Labyrintho ſenſimus, diximus, ſcripſimus .... ad ſanctitatis tuæ pedes affero,* PROBANS, IMPROBANS, FIGENS, REFIGENS, *quidquid probandum aut improbandum ex Apoſtolica Nube intonuerit.* Et lib. procemiali ad 2. Tom, cap. 29. *Quidquid,* inquit, *ab iſta Petri Cathedra .... ab iſto Chriſti D. N. Vicario, ab iſto Eccleſiæ univerſæ Capite, Moderatore, Pontifice præſcriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum, improbo; damnatum, damno; anathematizatum, anathematizo.* Cum his conſentiunt ea, quæ habet ad calcem Tom. 3. *Quidquid de rebus tam multiplicibus, & arduis, non juxta meam, ſed juxta S. Doctoris ſententiam pronunciavi, ex Apoſtolicæ Sedis, Eccleſiæque Romanæ Matris meæ judicio ſententiaque ſuſpendo; ut illud jam nunc teneam, ſi tenendum; revocem, ſi revocandum; damnem & anathematizem, ſi damnandum & anathematizandum eſſe judicaverit.* Hic habes, ubi imiteris Janſenium.

PHIL. Non tamen auſim abſolutè anathema dicere ejus ſenſui: Hoc ego ſi dicerem, non placerem noſtro Præſidi.

NIC. Tu qui agis Sanctulum, quæris hominibus placere? Audi quid Galat. 1. dicat Apoſtolus: *ſi adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

PHIL. Quid ſi me è ſuo Collegio expellat?

NIC. Id tu tibi beneficii loco repone: quod enim beneficium majus præſtari poteſt, quàm liberari de *conventu malignantium*, qui *abeuntes in conſilio impiorum, & in Cathedra peſtilentiæ ſedentes* impiiſſimum quodque dogma liberrimè deblaterant? Denique mentis oculos in

Cœ-

Cœcum Evangelicum intende, quem ejectum è Synagoga tam benignè ſuſcepit Chriſtus.

Phil. Audin', Nicoſtrate? Datur ſignum ad lectionem, vale.

Nic. Vale, Philadelphe, & per animi tui ſalutem ego te obteſtor, ut quæ diſputavimus, ea ſæpè rumines. Mentem meliorem tibi fortè injiciet Deus. Hoc ego tibi ceteriſque Janſeniſtis omnibus ex animo apprecor.

FINIS.

Imprimatur,

Nicolaus du Bois

Lib. Cenſ.

[illegible] Google

BIBLIOTECA